This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Sp 45, 227

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

DE SEX. PROPERTII

AMORIBUS ET POESI

CAPITA SEPTEM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM

PROPONEBAT

RAIMUNDUS BONAFOUS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

Via dicta Boulevard Saint-Germain, 79

MDCCCXCIV

Lp45.227

HARVARD COLLEGE
JUN 1 1908
LIBRARY
Salisbury fund

EX TYPIS BARLATERII ET BARTHELETI — MASSILIÆ
Via Venture, 19

PRÆFATIO

PRÆFATIO

Non hoc nobis in animo fuit, cum præsens opusculum scribere incepimus, ut omnes quæstiones, quæ ad Propertium aliquo modo spectarent, tractaremus, nedum exhauriremus; primum, quod tanto oneri nostros umeros impares esse sentiebamus; deinde ne multis rebus ab aliis optime repertis nostras commentationes ultra modum inflaremus. Rursus non una in re, sicut apud Germanos fere mos est, nostras paginas versari voluimus. Sed electis e multitudine propertianarum quæstionum nonnullis punctis, ad hoc tempus, me quidem iudice, parum enucleatis vel in dubio sitis, his novam lucem pro nostris viribus affundere studuimus. Nam quamvis permulti Germani, Britanni, etiam alii, et in nostra Gallia nuperrime Plessisius propertianis rebus valde laudandam operam navaverint, multa adhuc in subobscuro loco iacent, nonnulla falso iudicantur.

Ea in primis illustrare voluimus, quæ Plessisius in opere suo, magna ex parte critico, vel neglexit, vel cursim et properanter tractavit. Cum tamen in talibus rebus omnia cohæreant, factum est ut eius opiniones vel corrigere, vel impugnare deberemus; quanquam me illius libro multa debere aperte fateor.

Nunc ad nostri operis divisionem veniamus. Quamvis unumquodque caput per se stet, duas tantum partes reperire est, quarum variæ divisiones inter se artissime iungantur; e quibus prior ad vitam poetæ, posterior ad eius poesim pertinet. In illa Cynthiæ condicionem, de qua viri docti adhuc certant, melius definire studuimus; deinde quinquennium non iis annis contineri, quos Plessisius constituerat, demonstrare sumus conati; postremo quo modo Cynthia et Propertius inter se vixerint, in qua re mihi non pauci erravisse videntur, manifestius prodere voluimus. In hac nisi sumus, ut nonnulla a Germanis nuperrime tractata cum in unum cogeremus, tum aliqua ex parte redargueremus et ad verum reduceremus. Quibus in rebus propertianæ elegiæ versarentur, quem ad modum pro temporibus variis studiis poeta incubuerit, indicavimus; deinde vidimus quid sibi, quid aliis debuerit, et quatenus Alexandrinis poetis adscribi possit. Mox de dispositione eius carminum disseruimus, de qua re plane diversæ fuerunt doctorum sententiæ. Extremo capite aliqua non a nobis tractata delibare voluimus, simul quem locum inter alios romanos elegiacos poetas noster teneret, ostendere. Etenim illud studuimus, non tantum ut variæ magni momenti quæstiones in meliore luce ponerentur, sed etiam ut ex his septem capitibus nostris vera hominis et poetæ effigies delinearetur. Quatenus ad propositum finem accesserimus, alii diiudicent.

CAPUT I

DE CYNTHIA

CAPUT I

DE CYNTHIA

Cynthia te vatem fecit, lascive Properti.

Sic Martialis VIII, 73, 5.
Ipse Propertius II, 1, 4 (1) :

Ingenium nobis ipsa puella facit.

Iam omnium primum, quæ fuerit ea Cynthia, cui tantum noster debuerit, inquirere operæ pretium est, cum inter viros doctos, in ea quæstione desudantes, haud parum discrepet.

Ab iis ordiamur, quæ certa sunt. Constat puellam exstitisse, a poeta Cynthiam nominatam, quam ille unice amaverit, quamvis ipse fateatur se et alias quæsivisse.

Huius Cynthiæ vultus et corporis lineamenta e variis Propertii locis colligere licet. Fulvam comam habuit (II, 2, 5),

(1) Utor numeris editionis Bæhrensianæ (Lipsiæ, 1880), quippe quæ omnibus in promptu sit, et magis cum vulgata numerandi ratione consentiat, quam utique tenendam censeo, ne inutilis scriptori satis per se obscuro obscuritas adiciatur ; quanquam probabile est, ut infra dicetur, Lachmannum propius ad veritatem accessisse.

simul et lumina nigra (II, 12, *23*), quod peculiare neque spernendum pulchritudinis genus efficit. Ei longæ manus fuerunt (II, 2, *5*), id est procerulæ et teretes (cf. III, 7, *60* et vocabulum quod est *digitos* II, 12, *23*). Toti corpori et habitui maiestas venustati coniuncta inerat. Cum enim maxima toto corpore esset (II, 2, *5*), eius pedes molliter ire solebant (II, 12, *24*), ita ut Iunoni vel Minervæ haud impar incederet (II, 2, *6* et q. seq.).

Has naturæ dotes vestitu et arte commendabat. Coas vestes, ostrinas tunicas adamavit (I, 2, *2*; II, 1, *5*; II, 29, *26*). Tali veste ceteroqui primum poetæ oculos cepisse videtur (III, 10, *15*). Pectus lapillis solebat variare (I, 15, *7*). — Utrum eius oris niveus et roseus color verus an extrinsecus quæsitus fuerit, incertum est, cum poeta non sibi constet, et aliter ardore inflammatus, aliter iratus et discedens loquatur. Etenim II, 3, *9* et seq. invenimus :

Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit
(Lilia non domina sint magis alba mea ;
Ut Mæotica nix minio si certet Hibero,
Utque rosæ puro lacte natant folia)

[v. 10 *sint* NF; *sunt* DV; v. 11 *Ut* NDV; *et* F]

II, 1 *9* eius digitos eburnos poeta iactat, unde iure coicias eundem ori colorem fuisse. Rursus III, 24, 7-*8* fatetur se immerito amicæ colorem roseo Eoo contulisse, cum ei in ore quæsitus candor foret. Quæ de infectorum Britannorum imitatione (II, 18 *b*) et Belgico colore ore Romano turpi dicit, potius ad aliquod capillorum medicamentum videntur pertinere, unde colligi potest, cum parum certæ colorum definitiones apud veteres fuerint, et illam fulvam comam,

quam nuper laudavimus, forsitan artificio originem debuisse. Sed de minimis iam satis superque dictum ([1]).

Poeta nos docet Cynthiam formose, posito Iaccho, saltasse (II, 3, *17*) et lyram perite digitis percussisse (II, 1, *9-10*; II, 3, *19-20*), ita ut eius modos verisimiliter vox puellæ sequeretur. Neque tantum canendis, sed et pangendis carminibus indulsit, si poetæ credimus, qui sæpius eam doctam appellat (ex. g. I, 7, *11*; II, 13, *11*) nec minus eam ingenio Minervæ quam forma Veneri inservisse declarat (I, 2, *30*). Cynthia ipsa sua scripta magni faciebat, quippe quæ ea cum scriptis Corinnæ (et forsitan Erynnes) ([2]) committeret (II, 3, *21-22*). Miror neminem poeticam Cynthiæ facultatem in suspicionem vocasse. In eius carminibus scribendis Propertium non otiosum fuisse arbitror, nec raro vitia sanasse vel flosculos inspersisse. Ceterum, ne in quæstiuncula commoremur, amicæ aures puras, id est ad iudicandum callidas, poeta æstimabat, et illum iuvabat, si sua carmina puella probasset (II, 13, *12*). Ei enim ingenii subtilitas non defuit, neque lepidi sermonis elegantia; quod versus I, *2, 29*, testatur :

Unica nec desit iocundis gratia verbis.

[Marklandus : *facundis*, falso. *Verbis* NAF; *dictis* DV.]

Hæc atque talia consideranti in mentem venit Sempronia illa Sallustiana, de qua in Catilinæ coniuratione (cap. 25)

---

(1) Confer, si vacat, quæ Catullus de sua Lesbia scribit ; mirum in modum cum his, quæ de ingenuis Cynthiæ dotibus sumus locuti, congruunt (Rostand et Benoist, *Vie de Catulle*, p. LII).

(2) De versu 22, cum pravas libri lectiones præbeant, inter viros doctos non constat. Alii alia coniecerunt.

fit mentio. Quæ mulier, ut ipsa Crispi verba usurpemus, litteris græcis atque latinis docta, psallere et saltare solebat elegantius quam probæ necesse erat. Ingenium eius haud absurdum fuit; poterat versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci. Has omnes dotes, si dotes sunt, Cynthiæ adfuisse nuperrime vidimus. Ex his, quæ infra dicentur, elucebit, alia quoque cum Sempronia (totum Sallustii caput legendum est) Cynthiam communia habuisse.

Quod ad eius ætatem attinet, Propertio paulo maturior annis fuit. Etenim II, 18, *19-20* legimus :

> At tu etiam iuvenem odisti me, perfida, cum sis
> Ipsa anus haut longa curva futura die,

et II, 18 b, *33-34* :

> Cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus,
> Frater ego et tibi sim filius unus ego.

Cf. quoque III, 25, ad finem. Ante Propertium est mortua (IV, 7). Versum II, 32, *6* neglegimus, cum lectio *anum*, quamvis ab O (1) data, ab interpretibus iure vexata sit. Ex his locis collectis apparet mediam inter fratris (quæ communiter est etiam amatoris) et filii Propertium habuisse ætatem. Cynthiam igitur quinque circiter annis, si placet, nostro poeta ætate provectiorem fuisse declarabimus, quanquam me non fallit, si sint qui, voce *filio* freti, maius intervallum fuisse putent, me nihil iis quod respondeam habere. Nemo certe

---

(1) O, signum Bæhrensianum, sic accipimus, ut bonos libros, id est N A F D V, congruentes designet, archetypi ceterum Bæhrensiani doctrina omissa. Italos græca littera ς designabimus, duce eodem Bæhrensio.

negabit hanc ætatum discrepantiam haud parum ad diuturnitatem amorum valuisse.

Iam ad alia, magis in ambiguo sita, accedamus. Quæritur primum quo loco puella nata sit. Hertzbergus (Quæst. Prop. p. 40) Cynthiam Tibure natam esse vult, e versu IV, 7, *85*, qui sic ab illo scribitur :

Tiburtina iacet hac aurea Cynthia terra.

Ceteri fere editores,Italos secuti, ne in arsi tertii pedis syllaba produceretur, sic hunc versum typis mandaverunt :

Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra,

ubi vox *Tiburtina* cum voce *terra* iungenda est, unde efficeretur Cynthiam non Tibure natam, sed sepultam fuisse. Oblocutus est Marxius (De Propertii vita et librorum ordine temporibusque, Lipsiæ 1884, p. 57 et seq.) qui v. 81-86 spurios esse iudicat, et opinatur Tiburtinum aliquem interpolatorem Cynthiam municipem sibi vindicare voluisse. Certum est de v. 85 bonas membranas dissentire (sed Tiburna (Tyb. D) iacet hic N D; sed Tiburtina iacet hic F) ubi verbum quod est *sed* fœdissime otiosum e præcedenti versu videtur irrepsisse, et temerarium esse, e loco prope desperato aliquid certi de Cynthiæ patria elicere velle. Ceterum (quod a Marxio demonstratur) et Cynthiam, cum eius splendida fama a docto avo refulgeret (III, 20, 7), Romanam fuisse verisimile est (unde Hertzbergi lectio refellitur) ; et cum e parvis exsequiis festinate perfectis, tum e toto septimæ elegiæ quarti libri tenore iure concludas Cynthiam non Tibure, sed Romæ esse sepultam (unde refellitur vulgata ex Italis ducta lectio). Marxio igitur adsti-

pulor versus tot vitiis laborantes esse reiciendos, et ab interpolatore, antiquo quidem, fictos vel saltem refictos fuisse, ut suam patriam celebri nomine ditaret. Illud adiciam, interpolatori suam mutationem in mentem ex eo venisse, quod II, 32, *5* « deportant esseda Tibur » legeret, itidem e versibus III, 16, *1*-2 (qui hac interpunctione legendi sunt :

Nox media, et dominæ venit epistula nostræ
Tibure ; me missa iussit adesse mora)

colligeret, Cynthiam Tibure sæpius fuisse, et suam interpolationem non suspicionem esse moturam. Cynthiam ergo Romanam fuisse putamus.

Nunc quærendum, quod verum puellæ nomen fuerit. Certum est enim Cynthiam fictum nomen fuisse. Sic enim Apuleius in Apologiæ cap. decimo : « Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet. » Idem docemur a scholiasta ad Iuv. VI, 7 : « Cynthia Propertii amica sumptuosa proprio nomine Hostia dicebatur. » Neque id mirum, cum ex Apuleio (loc. cit.) et Acrone ad Hor. Serm. I, 2, *64* constet Augusteæ ætatis poetas sæpe ita amicarum vel feminarum quarumcumque nomina immutasse, ut in eorum locum alia nomina eodem syllabarum numero et eadem quantitate prædita substituerent. Vide quæ de hoc usu dixit Bentleius ad Hor. Carm. II, 12, *13*. Bentleius huius legis sic causam describit : « Et data quidem opera id a poetis factitatum, ut qui eius rei conscii essent, et, quod dicitur, clavem haberent, facile pro ficto nomine verum substituere possent sine versus dispendio. » Qua legis causa nixus Marxius (p. 46) affirmat Propertii amicam vero nomine non Hostiam esse appellatam, et

locos sane multos nostri enumerat, quibus nomina Cynthia et Hostia permutari non possunt, ex. gr. I, 4, *19* ubi, si in hoc, quod legitur

Nec tibi me posthæc committet Cynthia, nec te

vox *Hostia* voci *Cynthia* substitueretur, syllaba quæ est *tet* correpta remaneret. Nihilominus Hostiam verum Cynthiæ nomen fuisse censeo. Iam primum hæc legis causa a Bentleio, non a veteribus, data est. Ea ceterum sic accipienda mihi videtur, ut antiqui poetæ sibi proposuerint pluribus, non omnibus locis, verum nomen ficto substitui posse. Sic eam Bentleius ipse accepit qui Cynthiam Hostiam fuisse dicit, et Passeratii errorem redarguit his verbis usus : « Unde et magni Passeratii error evincitur qui pro Hostia Propertii Hostiliam substituere voluit ; neque enim convenit syllabarum numerus. » In eadem Bentleii adnotatione alterum exemplum invenitur quod adversus Marxium facit, et veteres ipsos sic legem accepisse testatur. Acro enim affirmat apud Horatium Serm. I, 2, *64* vocem *Villius* pro *Annius* esse positam, et Bentleius ad hunc novum locum scribit : « Scholiastæ ad locum : Villius, inquiunt, pro Annio ponitur. » Verum igitur Cynthiæ nomen, etiam post Marxii ceteroqui valde laudandum opusculum, Hostiam fuisse credemus, Apuleium et Iuvenalis scholiastam, testes honestissimos (utor verbis Marxii, qui Iuv. schol. certe Propertium ipsum legisse fatetur), item ceteros viros doctos secuti. Quod ad fictum nomen Cynthiam attinet, probabile est poetam illud suæ amicæ imposuisse, ut eam Apollineis dotibus esse ornatam significaret.

Cum igitur Cynthiam vero nomine Hostiam fuisse

arbitremur, restat ut familiam, a qua oriunda fuerit, quatenus fieri potest indicemus. Ad hanc quæstionem plurimum valent loci qui sunt II, 13, *9-10*.

Non ego sum formæ tantum mirator honestæ,
Nec si qua illustres femina iactat avos,

ubi mihi errasse Herzbergus videtur, qui hos versus (Quæst. p. 34) non ad Cynthiam referri existimat, cum tantum absit ut contextus eius interpretationem defendat, ut contrariæ opinioni subveniat; et III, 20, 7 et seq.

Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo;
Fortunata domus, modo... etc...

ubi primum si dotes, quæ in Cynthia celebrantur, cum contextu præcedentis loci comparaveris, videbis eosdem esse, unde sequitur priore loco illustres avos ad Cynthiam esse referendos, simul et honestam formam. Iam e vocibus *fortunata domus, illustres avos, splendida fama, docto avo,* certo certius fit Cynthiam non libertinam (quod putat Herzbergus) sed a nobili genere oriundam fuisse, et unum saltem (cum pluralis numerus in *illustres avos* rhetorico modo usurpari potuerit) avum sibi famam conciliasse. E voce *docto* elucet illum suis scriptis eam famam esse adeptum, unde quidam recte, meo quidem iudicio, putaverunt de Hostio poeta, Histrici belli scriptore, fieri mentionem (vide Teuffelium, 130). Quæ contra Marxius loquitur (pp. 46-47) reicienda sunt. Etenim etiam a Propertio ille Hostius doctus appellari potuit, cum de amicæ genere extollendo ageretur; et vox *avo,* quo Marxii argumentatio nititur, lato sensu etiam avi patrem aut avum

significare potest (constat enim plures quam duas hominum ætates inter poetam et Cynthiam intercessisse). Quæ de Hosto Hostilio, Tulli Hostilii regis avo, Weichertus (De Hostio poeta) excogitavit, eum generis auctorem luisse declarans, meræ nugæ sunt. Apparet tamen e mentione quæ apud scriptores fit duorum Hostiorum, quorum prior ob parricidium, posterior ob avaritiam libidinemque infamis fuit, Hostiorum genus in notitiam hominum venisse (nam de infimis tacetur). Credimus ergo et Hostium poetam a Propertio designari, et vocum *fortunata domus* ratione habita, Hostiam gentem, a qua Cynthia oriunda fuerit, si non magnum, aliquem tamen in civitate romana locum tenuisse.

Quæ si ita sunt, funditus evertitur illa doctrina, quæ Cynthiam libertinam, immo meretricem fuisse vult. Nonnullis nostri poetæ locis compositis, Herzbergus Cynthiam declarat fuisse meretriculam (p. 36; cur deminutiva forma utatur, nescio, cum alias, scil. p. 39 eam, eius matrem et matris matrem fuisse meretrices maiorum gentium dicat, et e Propertio appareat prætorem quendam Cynthiam suo favore esse dignatum). Idem dicit Paleyus (ad I, 1, *1* : « It is probable that she was a libertina, and sufficiently certain that she was a meretrix, though not one of low degree »). Idem et Postgatius (Introd. p. XVIII : « There is no reasonable doubt that she was a courtesan of the higher class »). Idem et Kylanderus (Sextus Propertius, en literatur-historisk studie, Upsala, 1877, p. 8) sic sua lingua locutus : « En grundlig pröfning..... har satt utom allt tvifvel, att hon varit en hetär (meretrix) och af låg härkomst »; id est : « diligenti observatione... extra dubitationem positum est, eam meretricem et humili origine fuisse. » Idem et Bæhrensius (Proleg. p. 41). Omnes igitur hi viri docti Cynthiam liber-

tinam et meretricem fuisse declarant. — Contra Gruppius (Die römische Elegie I, p. 342) : « Cynthia war eine Dame von Familie. » Quam opinionem Marxius amplexus firmis argumentis mihi defendisse videtur. Operæ pretium est fusius de hac re disserere.

Iam primum omnium de Cynthia ingenua, non libertina, supra diximus, cum parum verisimile sit feminam avis illustribus et fortunata domo dotatam libertina condicione vixisse. Ceteroqui his viris doctis, qui Cynthiam libertinam fuisse affirmant, in primis argumento est, quod meretricum more vixerit ; qua in re eos falsos esse opinor, cum probabile sit, sæpius, illo romanæ reipublicæ tempore, non secus ac apud nos recentiores, etiam ingenuas in sacra desultoriæ Veneris esse delapsas.

Apex igitur quæstionis in eo versatur, utrum Cynthia meretrix an maritata fuerit. Certum est si, perlecto Propertio, mores Cynthiæ uno obtutu consideres, eam tibi absolutæ meretricis speciem esse præbituram, neque miror multos in hac parte erravisse. Nam omisso illo, quod psallebat et saltabat elegantius quam probæ necesse est (sic Crispus de sua Sempronia loquitur, vide supra) bibosa fuit (II, 33, *25*

Lenta bibis : mediæ nequeunt te frangere noctes

et *36* :

Iam bibe ; formosa es ; nil tibi vina nocent).

Mero furibunda, mensam propellebat (III, 8, *3*). Unusquisque eam facilem prædam æstimabat. Bassus (I, 4) Gallus (I, 5) Lynceus (II, 34) videntur eam sollicitasse. Immo

multos in hac Cynthiana militia Propertius commilitones habuit, qui victores evaserunt; neque causa est, cur cum Bæhrensio (Proleg. XLVIII) Panthum et prætorem unum et eundem fuisse credamus. Nec ille, qui vicerat, diu victoria frui poterat (II, 9, *1-2* :

Iste quod est, ego sæpe fui; sed fors et in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.)

Avida fuit (III, 13, *1*, avidis puellis). Auro se vendebat (II, 16, *12*

Semper amatorum ponderat una sinus
[Una N F, illa D V]).

Amatores noctu domi recipiebat ut e I, 3 apparet, ubi poeta nocte provecta illam visitat, et e II, 29, *23*, ubi poeta, illam non solam quievisse suspicans, ipse supervenit. Eius ianua conqueritur se infames dominæ noctes non defendere posse (I, 16, *9*; credimus enim ianuam Cynthianæ domi loqui). Ante eius fenestras rixæ oriuntur (II, 19, *5*). Tota Roma fertur et non ignota nequitia vivit (II, 5, *1-2*); famæ murmura contemnit (ibid. v. *29*). Laidos, Thaidos, Phrynes vestigia premit, undam amatorum recipiens (II, 6, *1-6*). Lenæ ministerio utitur (IV, 5; non enim in eam, de qua hoc loco agitur, lenam poeta inveheretur, nisi ab illa plurima sibi mala orta essent). In ipsis templis peccat II, 19, *10*: Fanaque peccatis plurima causa tuis). Ultra progreditur, IV, 7, *19-20* :

Sæpe Venus trivio commissa est, pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias

[19 : commissa ς, commixta O ; 20 : pallia NF_2 V_2 pectora O]. Quæ omnia si sola reputaveris, non fieri potest quin in sententiam Herzbergi et ceterorum, qui Cynthiam meretricem fuisse existimant, pedibus descendas.

Sed alia consideremus. Poeta prostibulum, quod Sacram Viam immundo socco conterit, amicæ avidiori opponens, hæc scribit, II, 23, *19-20 :*

> Nec dicet : « timeo, propera iam surgere, quæso :
> Infelix, hodie vir mihi rure venit »,

ubi Marxius æstimat Cynthiam et eius conjugem significari. Neque nego vocabulum quod est *vir* hoc loco maritum designare, præsertim si Flaccum (Serm. I, 2, *127*, vir rure recurrat) conferas ; quanquam certum est, hoc vocabulo nostrum etiam amatores designare (ex. g. III, 3, *20*). At, dicet aliquis, Propertius in universum locutus est. Huic cum Marxio respondebo : Ovidius, fere nostri æqualis, postquam de Tibullo locutus est docente qua arte nuptæ viros fallere possint, adicit (Trist, II, 465) :

> Invenies eadem blandi præcepta Properti,

unde iure elicias Propertium sæpe suis carminibus de viro decepto dixisse (cf. III, 3, *50*), et Cynthiam maritatam fuisse. Puto tamen Propertium non minus sæpe alios amatores decepisse. Nihilominus his versibus verisimile fit Cynthiam habuisse coniugem.

Iam ad alia progrediamur. Poeta (II, 7) loquitur de lege quadam sublata, qua edicta quondam diu cum Cynthia fleverit, ne eos divideret. Illud e tota elegia inter viros Propertianos constat, de rogatione aliqua

Augusti mentionem fieri, qua Romani uxorem ducere cogerentur. Cur, si non maritata Cynthia fuisset, poeta eam uxorem non duxisset? At, dicit Herzbergus, meretrix fuit. Sed Propertius suam amicam a vagis vilibusque puellis (I, 5, 7; II, 24, 9) discernit, ab iis, quæ palam quæstum corpore fecerant, quas ingenuis sponsas uxores habere lege erat interdictum (Ulp. I, 43, 1); et, etiam si concedas Cynthiam vilem puellam fuisse, poeta eam publice riteque concubinatu sibi iungere poterat (Marxius p. 49). Restat solam uxoris condicionem Cynthiæ impedimento fuisse, quominus poetæ nuberet.

Iam Propertius (II, 32, 45), de moribus Cynthiæ loquens, hæc scribit :

> Hæc eadem ante illam impune et Lesbia fecit,

unde merito concludas Lesbiam et Cynthiam eadem condicione eodem modo vixisse. Atqui eorum, qui in Catullianis versibus explanandis versati sunt, maior pars Lesbiam eam (vero nomine Clodiam) cum Baylo censet maritatam, immo noti Clodii sororem fuisse (vide Rostand et Benoist, Introd. p. XLVIII); quamvis in horrenda relapsa sit, si Catullo credendum, qui illam ea egisse affirmat, quæ referre pudet (Cat. 58). Ex altera parte Iuvenalis (initio sex tæ satiræ) pauperem uxorem montanam impudicis Cynthiæ et Lesbiæ opponit :

> haud similis tibi, Cynthia, nec tibi cuius
> Turbavit nitidos exstinctus passet ocellos;

unde optimo iure colligas, cum uxori uxores, non meretrices sint opponendæ, et Lesbiam, et eam, de qua hic agitur, Cynthiam fuisse maritatas.

His omnibus perpensis, Cynthiam, vero nomine Hostiam, nobili genere natam, non meretricem, sed matronam fuisse credemus, meretricissimo quidem (ut Plauti vocabulum, a Marxio præoccupatum, usurpemus) more viventem, ei Semproniæ similem, quam, teste Sallustio, famæ nunquam pepercisse accepimus.

CAPUT II

—

DE PROPERTIANORUM AMORUM DECURSU

CAPUT II

DE PROPERTIANORUM AMORUM DECURSU

Nunc nobis in animo est, Propertii et Cynthiæ amorum seriem evolvere.

Ante omnia, pauca de poeta ipso præfanda sunt, quamvis nullo modo ea, quæ ab aliis tractata sunt, recantare velimus. Sex. Propertius (1), divite familia oriundus (IV 1, *129* : Nam tua cum multi versarent rura iuvenci), ingenuus erat (IV, 1, *131* : aurea bulla), quanquam nec sanguine avito (II, 24 *b*, *37*) nec antiquis triumphis (II, 34, *56*) nobilis. Hispelli (2) natus est, anno circiter 707/47 (3).

Patre mature amisso (IV, 1, *127*) agrorum distributione,

---

(1) Gentilicium *Aurelius* spurium esse Hauptius probavit; agnomen *Nauta*, e prava lectione versus II. 24 *b*, *38* ortum, absurdum est. Vide quæ de Propertii vero nomine dicit Plessisius in suo optimo libro (*Etudes critiques sur Properce*. Paris, 1884, p. 171-174).

(2) Giulio Urbini, *La Patria di Properzio*, studi e polemiche. Torino, Lœscher, 1889. Lectionem Asisi (IV, 1, *125*) falso, si Urbino credis, Lachmannus coniecit; boni libri præbent Asis (NF), vel axis (DV). Canterus (1569) et docti : arcis.

(3) Vide Plessisium, op. cit., p. 225.

quam Vergilius quoque passus est, anno a. C. n. 41, magna bonorum suorum parte est spoliatus (IV, 1, *130* : Abstulit excultas pertica tristis opes), et in tenues Lares coactus est (*ibid.* v. 128). II, 34, *55*, dicit sibi parvam domi fortunam esse relictam. Nihilominus credendum est non illum in angustam pauperiem fuisse detrusum. Etenim II, 24*b*, *38* legitur :

quamvis haut ita dives eras

[navita O, absurde; non ita, Pontanus; haut ita, Heinsius. Utraque coniectura probanda; alterutra certe vera]. Iam e variis locis, qui infra afferentur, fit manifestum haud semel Cynthiam ab illo pretiosa munera accepisse. Certum est illum et ante et post liberam togam ante matris deos sumptam (IV, 1, *132*) anno circiter 724/30, optime educatum et liberali modo bonis artibus fuisse imbutum, quod eius carmina testantur, et parum abfuisse quin causidicus evaderet (IV, 1, *134*). Verisimile est ad hanc educationis finem matrem eum Romam traduxisse, ubi poetam anno 725/29 (1) invenimus.

A Lycinna quadam, vix sumpta virili toga, Veneris sacris fuit initiatus (III, 15, 3-*6*) :

Ut mihi prætextæ pudor est velatus amictu (2),
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit heu nullis capta Lycinna datis.

(1) Si temporum ordinem Plessisianum sequimur.

(2) Versum 3, horribili modo vexatum, eo modo scribo quo a L. Muellero typis mandatus est. Ceterum de sensu non dissentitur.

Ea Lycinna videtur fuisse una e servis Cynthiæ, quæ posterius, invidia mota, eam, teste poeta, vexabat (loc. cit.), quamvis e I, 1, *1* (Cynthia prima) iure colligas poetam plus in ea lascivisse (nullis datis) quam revera ab ea fuisse irretitum. Post breve spatium (Lachmannus unum annum illi foederi concedit, Herzbergus biennium ; sed de incertis melius tacere) serva neglecta dominam formosiorem dilexit, et ei amori inservire coepit, quo eius carmina referta sunt.

De temporis intervallo, quo Propertius Cynthiam arserit, inter doctos non constat. Propertius Cynthiæ valedicens hæc IV, 24, *23* scribit :

Quinque tibi potui servire fideliter annos.

Hoc solo versu, primo quidem obtutu, tota quæstio videtur exhausta. Quidam tamen oblocuti sunt, Lachmanni ductu auspicioque, locis, qui iamiam afferentur, nitentes.

Certum est, ex ipsis poetæ verbis, eum, cum semel peccasset, totum in annum fuisse pulsum : III, 16, *9*

Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum.

Huic discidii anno versu I, 1, 7 (Et mihi iam toto furor hic non deficit anno) plurimi (excepto tamen Brandtio, Quæstiones Propertianæ, Berolini, 1880, p. 29) alludi putant. Rursus I, 1, *5*-6, legitur :

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, et nullo vivere consilio.

Iam e III, 16, *9* apparet semel saltem Propertium peccasse, et eam ipsam fidei violationem discidii causam fuisse (quanquam Knauthius, Quæst. Prop., Hal., 1878,

putat in loc. cit. de Propertio morato, non infideli esse quæstionem). Unde Lachmannus (Præf. ed. Lips.) colligit Propertium et ineunte, et durante discidio fidem violavisse, merito, meo quidem iudicio (contra enim Plessisium opinor poetam, cum *nullo vivere consilio* dicat, vulgares amores subaudire). Sed, cum Plessisio, Lachmannum errare censeo, cum putat poetam, post hanc desultoriam vitam, neque potuisse dicere se quinque annos fideliter serviisse, neque hæc scribere III, 15, 9-*10* :

Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Sic enim loquitur Lachmannus (Præf. p. XXVI) : « Hæc certe post illum annum, quo pulsus fuit, scribere non auderet, sed aut ante inimicitias, aut, quod credere malo, cum inciperent. » Quibus locis fretus Lachmannus cum discidii annum, tum tempus, quod antea decurrerat, e quinque annis, quibus poeta Cynthiæ fideliter servierit, excludi affirmat. Imo e versibus III, 15, *7-10*, elicit « si non diutius, certe biennio ferme post excussam Lycinnam Propertium, antequam reiceretur (discidii annus) cum Cynthia vixisse », unde constaret, si annos simul comprehendas (id est biennium ante discidium, discidii annum, quinque annos) octo ferme annos ab amorum initio ad tempus, quo versus III, 24, *23* scriptus est, esse elapsos.

Primum e versibus *Tertius haud multo minus est*, etc., unde Lachmannus biennium, Herzbergus (Quæst. p. 16) triennium colligunt Propertium Cynthiam ante discidium amasse, nihil ego colligo, nisi poetam, illo tempore quo eos scripserit, abhinc ferme duos annos cum Lycinna,

vigilante Cynthia, vix esse locutum. Quod ad ceteros locos attinet, Lachmanno assentior Propertium et ea occasione, ex qua discidium ortum est, et discidii tempore, erga Cynthiam peccasse. (Addere potuisset locum qui est II, 24, *9* :

Quare ne tibi sit mirum me quærere viles,

sed puto hunc alio tempore fuisse scriptum). Sed ab illo cum Herzbergo (qui tamen discidii annum excludit) Brandtio, Plessisio dissentio, cum affirmat Propertium post hæc non potuisse dicere se quinque annos Cynthiam fideliter amasse. Constat poetam levis ingenii fuisse II, 22, *1* :

Scis here mi multas pariter placuisse puellas,

et quæ seq., et viles vel alias quascumque ab initio amorum (vid I, 3) quæsivisse, sic tamen ut ad Cynthiam semper recurreret, quam unice diligebat, cui soli serviebat. Hos vagos et fluxos amores, in quibus sensus maiorem quam pectus locum tenuisse videntur, cum animo irato sua officia exprobraret, omittere poterat, cum tali occasione suas semper culpas amator obliviscatur. Quinque solum igitur annos, incluso discidii anno, Cynthiæ et Propertii amores duravisse censeo.

Indagandum quibus ab Urbe condita annis hoc quinquennium amoris contineatur. Hanc arduam quæstionem, persæpe ab aliis tractatam, breviter nunc attingere volo. Ante omnia confitendum plurimas elegias nihil in se habere, quo tempus compositionis indicetur. Sed cum de nonnullis probabiliter definiri possit, quo tempore fuerint scriptæ, fit verisimile ceteras quoque, quamvis tem-

porum ordini elegiarum ordo non ubique congruat, iisdem ferme annis in ceras a poeta fuisse coniectas. Iam in primo libro vix sexta elegia est, quam probabili sane argumento Herzbergus anno 727/27 tribuerit. In secundo II, 10 anno 729/25 videtur fuisse exarata; II, 34, eodem anno; II, 31, certe anno 726/28. In tertio 4 et 5 anno 732/22 scriptæ fuerunt (Marxius eas falso, mea quidem sententia. anno 729/25 tribuit). Eidem anno III, 12 adscribo; de III, 18 constat eam anno 731/23 fuisse scriptam. Unde, si extrema tempora consideres, fit probabile annos 727/27 et 732/22 quinquennium amoris complecti. Quæ contra Plessisius dicit, nempe in versibus III, 4, *15* et III, 5, 2 Cynthiam non aperte designari, non possum quin falsa esse iudicem. Ab anno 732/22 igitur regrediendum, et anno 727/27 initium quinquennii ponendum (1).

Marxius, qui hanc temporum rationem de quinquennio recipit, summæ Cynthiæ et Propertii amorum octo annos tribuit, quorum initium anno 724/30 ponit (discidium, de quo sumus locuturi, anno 726/28 adscribit). Sed non video, cur vir ille doctus amores illo tempore exstitisse contendat, ex quo nullæ ad nos amatoriæ elegiæ pervenerint, quæ huic tempori adscribi possint. Deinde, ut suam sententiam defendat, in loco III, 15,7 (*Tertius haut multo minus est*, etc., in elegia incluso quam quarti, id est tertii libri colorem præ se ferre fatetur, p. 28) vocem *septimus* pro *tertius* coicit. Nunc de voce *tertius* membranæ consentiunt; dein ex eo versu nihil esse eliciendum iam diximus,

(1) Hæc ceterum nihil faciunt adversus ea, quæ Plessisius de poetæ anno natali dixit, cum de tempore, quo Propertius Lycinnam amare inceperit, et de huius amoris spatio, nihil certi eonstet.

ne tempus quidem, quo elegia fuerit scripta (puto tamen hanc elegiam secundo anno post discidii finem exeunti esse tribuendam, vide infra). Itaque mihi videtur in plane inutili, etiam si eius ordinem temporum receperis, coniectura oleum perdidisse.

Restat ut de elegia II, 31, quam 726/28 fuisse scriptam constat, et quæ nihilominus in secundo libro contineatur, pauca dicamus. Liber I, cum in illo elegia 6 (ad Tullum) legatur, ante 727/27 non absolutus est. Cur ergo II, 31 in secundo libro invenimus? Unam video causam. Liber primus, quem ante alios et scriptum et editum fuisse constat (vide infra) unice amatorius est. Elegia II, 31, in qua poetam amicum quemcumque vel amicam, sed non Cynthiam, alloqui putamus, ante quinquennium fuit exarata, et ideo primo libro non fuit inserta, quod totius libri tenori parum quadraret. Postea edito primo libro, cum Propertius iam notior Augusti facta aliquo modo celebrare incepisset, secundo libro fuit inserta. Sed ad quinquennium non pertinet.

De anno discidii dicendum. Plessisio assentior hunc in finem primi libri scripti cadere. Illud hoc facto evincitur quod Propertius bis solum de longa separatione loquitur, nempe III, 16, 9 et I, 1, 7 iisdem verbis (totum in annum, toto anno).. Cum priore loco de discidii anno certe fiat mentio (nam discidii notitiam huic loco debemus), admodum verisimile est etiam altero de eodem discidio agi. Brandtius (p. 29) contra declarat, primam primi libri elegiam scriptam fuisse, cum Cynthia poetam nondum novisset aut non admisisset, ad quam opinionem demonstrandam tria affert argumenta : primum, collata elegia III, 24, qua poetæ amor finitur, putat illam, quæ I, 1 numeratur,

elegiam primo amoris tempore esse exaratam. Cui respondebo hanc comparationem nihil probare nisi I, 1 in primo libro primum obtinuisse locum. De Milanionis exemplo (v. 9-10) quo, Herzbergum secutus, evinci putat poetam non hoc agere ut dominam recuperet, sed ut primo sese in eius amorem insinuet, dicam solum recuperare non aliud esse nisi iterum adipisci. Quod ad duos hos versus attinet, qui sunt :

Vos remanete, quibus facili deus annuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares,

maior versus, e quo Brandtius tertium argumentum depromit, nihil ad rem dicit, minor aperte contra eum facit, et probat poetam et Cynthiam non semper in tuto amore pares fuisse. In sententiam igitur Lachmanni eundum, qui primum carmen eo tempore scriptum esse censet, quo Propertius a Cynthia esset relictus. Ceterum e II, 3, *3*

Vix unum potes, infelix, requiescere mensem

elucet iam ante primum librum absolutum discidium cessavisse. Locos qui sunt II, 11, *1* (scribant de te alii), II, 24, *9* (quærere viles), III, 20, 16 (scribenda lex in amore novo) ad alia minora discidia refero.

Quæ causa discidii fuerit, in incerto est. Cum omnes viri docti eam fidei violationem fuisse existimarent, Knauthius (p. 20-21) consideratis versibus qui v. III, 16, *9* præcedunt, probabiliter sane affirmat Propertium iubenti Cynthiæ non advenisse. Illud opinor, Cynthiam Propertii moram alicui fidei violationi tribuisse, ita ut mora occa-

sio, non causa discidii fuerit, eam vero in vera aut credita fidei violatione, cui hoc tempore duo amantes nondum essent assuefacti, esse inquirendam; restituta deinde concordia, Cynthiam poetæ iussisse, ut a Lycinna, quam non absurde credas aliquem in illa Propertii mora locum tenuisse, si non ab aliis abstineret, unde iure colligas elegiam III, 15 duos saltem annos post discidii finem fuisse scriptam.

Originem ergo quinquennii annum 727/27 ineuntem ponimus. Discidium a medio anno 727/27 ad medium annum 728/26 decurrit.

Ad illam temporum definitionem perfecte quadrat elegia II, 7. Constat inter eam et legem Iuliam, cui alluditur, anno 726/28 latam, aliquod temporis spatium intercessisse (v. 2 : Qua quondam edicta flemus uterque diu). Quæ lex iam ante amoris initium sancita non statim observari poterat, ita ut metus legis observandæ in id tempus inciderit quo amantes nuperrime iuncti flagrantissimo ardore tenerentur. Initio igitur anni 727/27, id est ante discidium, Propertium et Cynthiam diu flevisse existimo, et anno 728/26, quo verisimile est eam sublatam fuisse (duo enim anni, præsertim inserto discidio, grande amantibus spatium sunt, unde vox *quondam*) elegiam II, 7 fuisse compositam.

In universum igitur sequentibus a. C. n. annis tres primi libri tribuendi sunt:

I	27-26
II	26, 25, 24? (excepta elegia II, 31)
III	24? 23, 22.

Paulo diutius hic commorandum, primum ne in rebus

nisi certis adquiescamus (nam ea, quæ ad librorum tempora pertinent, haud levis momenti sunt, cum ad amores enucleandos, tum ad ipsos poeseos propertianæ modos non sibi constantes rite explanandos), deinde ut de illa Lachmanni divisione tandem aliquando nostram dicamus sententiam. Constat librum primum non tantum ante alios exaratum, sed etiam publici iuris separatim esse factum. Ut enim locos II, 7, *17-18* (ubi tamen contra Brandtium de carminibus agi opinor), et II, 20, *21-22* (qui et ipse satis aperte opus quoddam editum designat) omittamus; versus II, 3, *4* (Et turpis de te iam liber alter erit) demonstrat iam eo tempore primum librum fuisse absolutum, et vv. II, 24, *1-2*

Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro
Et tua sit toto Cynthia lecta foro,

probant iam hunc librum in manus et ora hominum venisse titulo *Cynthia* præfixo. Hoc confirmatur a Martiali in Epigrammatum libr, XIV (Apophoretis, 189):

Cynthia, facundi carmen iuvenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedir,

ubi primus liber *Cynthia* inscriptus sine dubio designatur. Nunc in bonis libris A F V (excepto N; D. ut notum, modo I, 2, *14* incipit) vocem quæ est *Monobiblos* invenimus; unde colligere possumus hunc librum iam apud veteres et separatim lectum, et proprio titulo, nempe *Cynthia Monobiblos*, dotatum fuisse (nam vocem *Monobiblos* quis credat non in antiquitate esse lectum et alicui medii ævi semidocto deberi?). Proinde de primo libro

ante alios separatim et proprio titulo edito, anno 728/26 exeunte, satis constat.

De libris II et III minus certum est. Vidimus elegias quæ in tertio libro continentur posteriori tempori esse adscribendas. Sed docti certant (et adhuc sub iudice lis est) quo tempore hi libri publici iuris sint facti, utrum ab ipso poeta, an ab amicis collectæ fuerint elegiæ, etiam de librorum numero. Breviter meam sententiam expromam.

Mihi quidem certum est hos duos libros eo ordine fuisse in ceras coniectos quo ad nos pervenerint. Illud tempore elegiarum, quæ certo cuidam tempori tribui possunt, evincitur, nec minus metricis rationibus. Puto hos ab ipso poeta fuisse editos, cum parum probabile sit poetam tam sibi confidentem (vide III, 1) sua in decimum saltem annum scripta pressisse (vitia archetypo depravato adscribo). Utrum simul an separatim editi fuerint, nescio. Quod ad librorum numerum attinet, decantatum est Lachmannum secundum librum in duos divisisse, considerato hoc loco II, 13, *25*

Sat mea sat magnast, si tres sint pompa libelli,

qui secundum vulgatam numerandi rationem in libro secundo legitur, et in tertio sibi locum videtur vindicare; et novi libri initium ab elegia II, 10 esse capiendum demonstravisse. De sensu vocis *libelli* docti inter se diu disputaverunt (vid. Pless. p. 105-107). Aliunde verbum *secundare*, quod Nonius (p. 169) libro tertio adscribit, revera III, 21, *14* vulgatæ legitur, unde subrueretur Lachmanni opinio (contra tamen L. Muellerus qui Præf. p. 13 Noniano loco IIII pro III legi vult).

Sed Birtius (Das antike Buchwesen, Berlin, 1882, p. 413-426), considerato versuum in unoquoque libro numero, et observato longiorem esse secundum, mihi evicisse videtur Propertium quinque, non quatuor libros exaravisse, ita tamen ut, excluso primo nomine Cynthiæ inscripto Monobiblo, primus liber ab eleg. II, 1 inciperet, et quatuor libros continens Syntaxis (II III IV vulgatæ) uni Monobiblo opponeretur, in duos secundum Lachmannianam doctrinam diviso vulgatæ secundo libro; quo efficeretur et Propertium II, 13 de tribus libellis iure esse locutum, et vocem *secundare* (rectius *secundat*) a Nonio in tertio libro legi potuisse. Quæ ceterum Birtius, Lachmannum secutus, de eleg II, 10 (p. 419) dicit, nempe eam elegiam alibi quam in capite libri (Augusto dedicati) poni non potuisse, non probare possum, et opinor librum in universum amatorium ab elegia II, 12 amatoria incipere. Iam in Birtiana doctrina, quæ versuum numero nititur, primum librum (secundi vulgatæ partem priorem) longe exiliorem iudico (354 vv.), cum secundus apud eum 1008 vv. habeat, tertius 990, quartus 954. Ne igitur Charybdin (scilicet longiorem librum) vitantes in Scyllæ fauces deveniamus, primum Lachmannianum librum duabus elegiis, certe non ita longis (32 vv.), ditabimus, hoc addentes, quod Lachmannus iam antea viderat, aliquas prioris partis secundi libri elegias ob eum, de quo diximus, archetypi deteriorem statum deperire potuisse (1).

---

(1) Hæc aliqua ex parte Plessisio debeo, qui me benevolo animo per epistulam certiorem fecit, se præsenti tempore aliter ac priori de Lachmanniana divisione sentire.

Sed de tribus primis libris iam satis dictum ; ad quartum accedamus quem postremum fuisse scriptum, et ad annum 738/16 descendere, ex elegiis, quas continet, clare apparet; ut, si nostrum ordinem temporum recipias, sex annos amplectatur. In illo libro, ut ad amores propertianos tandem revertamur, tres sunt elegiæ, quarum duæ certe, tertia probabili modo, ad Cynthiam spectent, nempe elegiæ 7, 8 et 5. Hucusque de quinquennio tantum locuti sumus. Restaret ut, cit. elegiis consideratis, quid post quinquennium evenisset videremus.

Hoc loco breviter tantum quæstionem attingemus, quam in sequenti capite longius enucleare nobis in animo est. Neglectis elegiis 5 et 8, quas examinandas in hunc locum reservamus, ubi de modo, quo inter se amantes in fine amoris vixerint, disseretur, elegia 7 nobis testis erit, non cum quinquennio amorem Propertii erga Cynthiam finiisse, et, etiam post Cynthiæ mortem, eius saltem desiderium in poetæ animo regnavisse; ut, etiamsi concederes (quod e loco, quo elegiæ nobis pervenerint, simul et e metricis rationibus non concedimus) elegias 5 et 8 ante finem quinquennii fuisse scriptas, confitendum tamen esset amorum memoriam longius ipsis amoribus duravisse, et nobis in mentem venirent hi versus Racinii nostri, pectoris humani acerrimi speculatoris :

> Mais il ne put sitôt en bannir la pensée;
> Vasthi régna longtemps dans son âme offensée.

Sed infra, ut dictum est, fusius de hac re tractabitur, et demonstrabitur etiam post quinquennium non amorum tantum memoriam, verum amores ipsos vixisse.

CAPUT III

DE AMORUM NATURA

CAPUT III

DE AMORUM NATURA

Antequam de rebus magis in lubrico sitis, dicendis tamen, aliqua nondum, me quidem iudice, satis aperte explicata devolvam, pauca mihi præfanda sunt. Non hunc in præsenti capite mihi finem proposui, ut in meo operi parum convenienti lascivia debaccharer, neque ut quorundam leviorum lectorum, quorum opinionem non curo, voluptati lenocinarer, sed ut ea, quæ vera esse puto, vero animo expromerem. Ceterum de his satis : res ipsa loquetur, quæ plurimum valet.

Naturam amorum illustrare, id est modum, quo inter se amantes vixerint, accurate definire volumus. Ordinem librorum, quem simul temporum ordinem esse docuimus, sequemur.

Indicandum primum quo modo et qua de causa amor nasci potuerit. Puto per Lycinnam. E III, 15 fit verisimillimum Lycinnam Cynthiæ fuisse servam, cum eius a Cynthia vexatæ fortuna cum fortuna Antiopæ conferatur, quam famulam Dirce pensis iniquis oneraverit (v. 15). Atqui non est probabile Cynthiam eam sibi posterius, id est postquam Propertium adamare inceperat, servam paravisse, quam a

poeta fuisse amatam non ignorare posset. Credendum igitur Lycinnam iam eo tempore Cynthiæ servam fuisse, quo quinquennium inceperit. At, dicet aliquis, cur eam retinuit ? Forsan ne maritus per servam reiectam de his certior fieret, quæ in sua domo agerentur. Curavit tamen ne vexationes quendam modum excederent. Ceterum eo tempore, cui elegiam III, 15 adscribimus, maritus forsitan erat mortuus.

His positis, rem sequenti modo in animo nostro componimus. Lycinna, nescio cur neque quando, amatorium commercium cum Propertio iunxerat. Amicum suum coram domina, muliebri more, laudibus extollebat. Nam Lycinna Propertium vere amavisse videtur (id e vocibus *nullis datis* III, 15, *6*, et e Cynthiæ posteriori invidia colligimus). Dictitabat eum adulescentulum esse, ardore inflammatum (sic enim suum amatorem sibi pingebat), formoso ore præditum. Nam ea, quæ de poetæ adspectu Postgatius (Introd. p. XXXV) dicit, eum pallidum et exilem fuisse declarans, sunt reicienda, et versus, quos affert de pallore et exilitate (ex. g. I, 5, *21-22* ; II, 22, *21*) de poeta mærore confecto vel in amores numerosiores delapso sunt intellegendi. Insuper est probabile poetam, iam ante quam Cynthiam diceret, suas in carminibus vires tentavisse (II, 31 anno 726/*28* adscribenda). Quis miretur has tantas dotes, a serva dominæ recantatas, Cynthiam impulisse, ut poetam adulescentulum, futurum amatorem et laudatorem, suorum amicorum gregi adiungeret, et eum aliquotiens visum occuparet, et suam domum frequentare iuberet ?

Quæ fuerit ea Cynthiæ domus delineare difficile est. Quem in ea domo locum maritus tenuit ? Herzbergus, qui Cynthiam meretricem fuisse putat, sic de marito, si vixisset, p. 35 loquitur : « Nonne plus quam mulum maritum futu-

rum fuisse dicamus, si talibus in nequitiis, quales Cynthia committere non dubitavit, conniveret? » Et certe Cynthiam impudicissimo more vixisse constat. Marxius (p. 51) maritum per plurimum tempus Romæ non fuisse opinatur. Ei assentior (vide loc. cit. II, 23, *19-20*); sed multæ etiam aliæ sunt causæ cur Cynthia tam horrendo modo vivere potuerit. Primum, forsitan coniunx annis vel morbo confectus fuit, ut uxorem suam non satis in manu haberet. Dein, si locos primo capite iam citatos consideres, Cynthia dotata fuisse videtur, et hoc uxorum genus persæpe pudoris leges fregisse novimus. Postremo, non omnino necessarium est Cynthiam eo tempore fuisse maritatam, quo a poeta amata est. Nam nihil aliud et poeta ipse et Iuvenalis (Sat. VI) dicunt, nisi Cynthiam, Lesbiæ vestigia prementem, coniugem fefellisse; de tempore tacent. Atqui mihi quidem certum est iam eo tempore, quo quinquennium inceperit, Cynthiam in arte coniugis fallendi non fuisse tirunculam, et fieri potest locos citatos ad id tempus quinquennium præcedens esse referendos. Nihilominus II, 23, *19-20* considerans, simul et observans Cynthiam per gradus quosdam ad apertum adulterium, postremo ad concubinatum descendisse, puto maritum tempore, quo poeta secundum librum absolveret (II, 32, *27-28*) decessisse; ut maritus non levis momenti fuerit ad prætoris munera reicienda (I, 8 *b*) et tempore quarti libri Cynthia et poeta una vivere potuerint (vide infra).

Vix ineuntibus amoribus, poeta sensit se per ignes cineri doloso suppositos incessisse. Certe Propertium Cynthia amabat, quippe quæ eum verisimiliter ad se allexisset, et primis mensibus (quod animadvertit Plessisius) plus amoris quam poeta ostendisse videtur (vide I, 3, ubi poeta amicam neglegit; et I, 6 ubi Cynthia

poetæ in Asiam cum Tullo profecturo obstat). Sed natura levis brevi recurrit. Brevi poeta intellexit puellam tantum vestitui indulgentem vulgo amantes conquirere (I, 2), neque sine causa Bassum et Gallum niti ut ab ea recederet, loco suis amoribus relicto (I, 4 et 5). Vidit eam a prætore quodam sollicitari, et in eo esse ut ad gelidam Illyriam proficisceretur (I, 8). Certe puella non est profecta, et poeta credere potuit se eam blandi carminis obsequio retinuisse (I, 8, *40*). Sed mox Baias, litora castis puellis inimica, visitavit (I, 11) invito Propertio qui solus remansit, et non immerito se derelictum putare potuit (I, 12 ; I, 13, 2). I, 14 quidem felicitatem spirat. Sed I, 15 poetam proficiscentem ut, me iudice, amorem sopitum excitaret vel fidei violationem ulcisceretur, Cynthia lenta despicit, ut I, 17 se ipsum increpet quod dominam fugere potuerit, et I, 18 fateatur se in Cynthiæ amore notam habere cogi. Neque mirandum est poetam I, 19 timere ne suum funus Cynthiæ amore careat, cum iam id temporis eam nive mæotica frigidiorem expertus sit.

Etenim certum est, iam in illo primo libro, ubi tamen de nulla certa Cynthiæ graviore culpa fit mentio, plus tristitiæ quam lætitiæ deprehendi, et cum Knauthio (p. 11) miramur Herzbergum sic in universum de eo iudicavisse (Quæst. p. 43) : « In hoc toto libro satis lætum esse amorem videmus. » Nam omisso eo, quod discidii anno est finitus (I, 1), iam tum duro sidere poeta vixit (I, 6, *36*), iam grave servitium erat, et Propertius didicerat quid esset exclusum abire domum (I, 5, 19-20). Aliquo tempore inter felices amantes numeratus (I, 18, *7*), mox non iras modo (I, 5. *8*), sed omnia quoque iussa superbæ dominæ ferre consueverat (I, 18,

25-26) et e tota Thessalia toxica bibere (I, 5, *6*). Mox amorem humanis doloribus erat adnumeraturus (II, 1, *57-58*). Iam Cynthia declivem viam descendebat, et, teste elegia I, 16, inceperat suæ famæ non parcere et sæcli luxuria turpiori modo vivere.

Nihilominus, immo ea ipsa de causa Propertius Cynthiam amabat. Nam notum est adulescentulis magnitudinem ipsam vitii quodammodo imponere, et eos imo corde tumescere, si eam, quam sibi solis retinere velint, feminam alios quoque fulgore suo urere videant. Neque Cynthiæ ipsi displicebant ignes Propertii, adulescentuli quendam virginitatis florem redolentis et eiusdem non contemnendi poetæ, et in eo gloriabatur quod ceteris vulgaribus amatoribus egregium suæ pulchritudinis laudatorem adscripsisset. Causas certas igitur videmus in utroque amante fuisse, cur discidium cessaret, et interrupti amores iam tempore primi libri exeuntis renovarentur.

Sed, si secundum librum consideraveris, videbis res, restituto amore, non in priorem statum fuisse restitutas. Etenim primum quidem librum, contra Herzbergi opinionem, in universum non lætum esse observavimus. Nulla tamen insunt (excepta I, 1) veræ desperationis, neque rursus multa exsultantis lætitiæ indicia (vide tamen I, 14). Contra secundi libri tempore res sæpius penitus immutari videmus, ut radians sol subito atra nube obscuretur. Iam initio libri (1, 2, 3) poeta recenti victoria lætus in suæ amicæ laudationes effunditur. Mox amorem puellarum declarat amarum (4), Cynthiæ suam nequitiam exprobrat (5), græcarum meretricum vitæ comparat (6), perfidæ pœnas minatur (5,*4*):

Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit

[*aquilo* O, quem immanes tempestates interpretibus movisse Herzbergus iocose dicit; *alio* Burmannus; *aliquo* Lachmannus]. Nos certiores facit sibi caram puellam esse ereptam (8), de morte sua cogitat (8^b). Nam rivalis eius sede est potitus, et ei misero ianua furtim aperitur (9). Certe falsam et fraudes componentem dominam misere amat (II, 7 ; II, 9, *46* : Solus ero, quoniam non licet esse tuum) ; sed amorem vitia Cynthiæ vincunt, ut ei II, 11 valedicat, ubi iure coicere possumus parvum discidium exstitisse.

Sed ei Cynthiæ, quæ crebris fidei violationibus poetam in desperationem detrudebat, ut mortem occupare agitaret, non in animo erat ut eum prorsus reiceret. Cum enim amatorum sinus una ponderaret (II, 16, *12*), nullius opes, ne eas quidem poetæ, sprevisse videtur. Iam elegiæ I, 8^b tempore verisimile est Propertium non solum eam blando carmine, sed etiam auro et Indis conchis sollicitasse. Aliquotiens hæc duo argumenta coniungere utile credebat : II, 8, *11*,

> Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!

Vide quoque II, 16, *17-18* :

> Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
> Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.

II, 23 et 24 queritur poeta dominam esse avidiorem, et semper nova quæ « astrictus pater sæpe te dedisse ploret » efflagitare (vide duas haud parum vexatas elegias). Nec ea solum causa erat, cur Cynthia Propertium retinere vellet. Edito primo libro, eius nomen in compitis et circulis cum poetæ nomine iungebatur (II, 20, *22* ; II, 24, *2*), ut, si non grato animo, saltem superbia quadam mota eum non prorsus excludere

posset. Ita fiebat ut poetam semper ad manum habere vellet, et amore deperditum semper quodammodo haberet; ut eum frigescentem calefaceret, vel rebellantem placaret, vel alibi vagantem revocaret, uno verbo ad suum arbitrium ageret; modo nocte data extolleret, modo exclusum deprimeret, et eum paulatim suis fidei violationibus assuefaceret.

Has amorum vices in elegiis, quæ secundam libri secundi partem (tertium librum Lachmannianum) efficiunt, deprehendimus. Nam dura II, 13 queritur se non animam primis cunis posuisse, II, 14 et 15 declarat quemvis nocte una vel deum esse posse (15, *40*). Sed prætor ab illyricis terris revertitur (II, 16), et iterum promissis ducitur, et decimo vix quoque die admittitur (II, 17), et queritur se iuvenem a vetula iam domina neglegi (II, 18).

Paululum hic commoremur. Quamvis putemus illo tempore Cynthiæ maritum adhuc in numero vivorum fuisse, nobis confitendum est eam iam tum perfecte meretricio more vixisse. Etenim amatores eam vocantes ostia pulsant, dum cum poeta requiescit (II, 14, *21-22*); inter eosdem amatores potos rixæ oriuntur, ut Cynthiæ vocatæ somnus amarus fiat (II, 19, *5-6*). In templis peccat (ibid., v. *10*). Mater ipsa Cynthiæ filiæ turpitudinem non ignorare videtur (II, 15, *20*: Ostendes matri brachia læsa tuæ). Attamen quendam modum coram poeta observat. Casta adhuc dici vult (I, 1, *5*); solet culpare leves puellas (II, 1, *50* :

Et totam ex Helena non probat Iliada);

non nisi sublato lumine in venereis pugnis rixatur (II, 15). Et tu illi credis, poeta; et, cum omnia, quibus tua carmina referta sunt, pudendæ lasciviæ aperta argumenta tuis ipsius oculis videas, tuis manibus tangas, eam tamen mulierem et

amas, et tuo amore dignam æstimas, et gaudes, si rus abierit, ubi nulli corruptores sunt (II, 19, velut ac si adhuc corrumpi posset !), et per matris et patris ossa iuras te illi ad extremas mansurum tenebras, neque ea, quæ ad tuas aures perveniant, curare, et tuam gravitatem servare (II, 20) ! O pectora cæca ! Quis morum doctor res inter se tantum repugnantes simul esse posse explicabit ? Quis demonstrabit quo modo incredibile verum fieri possit ?

Ratio tamen sua iura nunquam prorsus violari sinit. Ex elegiis 22 et seq. videmus poetam sibi in tanta tempestate portum quæsivisse, neque eas esse dedignatum, quæ Sacram Viam immundo socco conterebant, non ita ut indignam dominam oblivisceretur, sed ut suo dolori levamen aliquod afferret. Hærebat enim alta mente infidelis puellæ imago, et, una aut altera nocte sibi data, integrato ardore flagrabat, et iterum querebatur sua carmina non iam a Cynthia legi, et sibi nobiles vel beatos anteponi (II, 24). Vim quandam in sua patientia se inventurum esse credebat, II, 25, *17-20*

At nullo dominæ teritur molimine amator : (*L. Muell.*)
Restat, et inmerita sustinet aure minas.
Ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur,
Læsus et invitis ipse redit pedibus,

et reipsa inveniebat, teste elegia 26b, ex qua apparet Cynthiam poetam ad se revocasse, qui suas laudes celebrandas resumeret (vv. *25-26*), ut Propertius clamare posset (v. *27*) :

Multum in amore fides, multum constantia prodest !

Et iugo, quod in eo fuerat ut exueret, recepto bucolicam sibi pingebat felicitatem (ibid. *31-32*) :

Unum litus erit sopitis unaque tecto
Arbor, et ex una sæpe bibemus aqua.

Mox, graviter ægrotante puella, Iovem invocabat et orabat ut una saltem pulchra in superis locis esse posset (II, 28) (1).

Iam tamen sibi philosophiam quandam poeta invenerat : non fieri posse ut puellæ non peccent ; eadem ante Cynthiam fecisse Lesbiam (II, 32) ; Isidem, vinum mulierum inconstantiæ causas esse (II, 33) ; Amorem super libera colla sedere (II, 30). Contentus, si dominam semel in lecto solam reppererisset (II, 29), eam constantem et certam esse affirmabat (II, 34, *11*). Omnia perpeti consueverat, cum secundum librum scribere desiit, et tertium incohavit.

Inde fit ut in illo tertio libro non hos tumultus animi inveniamus, qui per totum librum secundum spirant. Propertius placidiorem sibi vitam fecisse videtur. Ei certe stant dura cum domina sua prælia (5, *2*). Sed eam solam vacuo lecto tabescere sinit (6, *23*). Eius furoribus gaudet, quippe qui veri caloris signa sint (8, *9*). Rivales mirum in amore condimentum esse iudicat (8, *33-34* :

Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt : in te pax mihi nulla placet).

Natalem suæ puellæ diem læto animo celebrat (10). Certe feminam versare suam vitam fatetur (11). Sed cuius vita a femina non vexata fuit ? Certe avidis puellis noctes sunt

---

(1) Cf. II, 9 ; non necessario alterutra elegia transponenda, cum bis Cynthia graviter ægrotare potuerit.

pretiosæ (13); sed aurum culpandum. Spartanos mores ita desiderat (14) ut tamen illi vitam Romanam esse tolerabilem sentias (vide finem). Dominæ iussa exsequi debet quæ in eum non mansuetas manus habeat (16). Sed eius invidiam excitat sua erga Lycinnam agendi ratione (15). Certe aliquæ elegiæ testantur eum aliquotiens paulo vehementius fuisse commotum. 17 Bacchum orat ut vitium ex animo suo diluat (v. *6*). 19 Cynthiæ rabidam nequitiam exprobrat. Sed in amore renovando leges statuit (20), quo probatur eum tunc temporis sui compotem fuisse. Amorem suum turpem esse fatetur (21, *33*), et Athenas proficisci vult. His omnibus consideratis, mihi concedes in illo tertio libro longe alium ac in secundo nobis apparere Propertium, maiorem in illo poetam philosophantem locum tenere quam amatorem inter gaudium et desperationem iactatum, et amorem iam remissiorem hoc tempore in quandam consuetudinem vertisse, in qua uterque suo arbitrio ageret, uterque alteri sua vitia condonaret. Nam Cynthiam raro poetam admisisse III, 21, 7 testatur, et observatione dignum est in loco qui est III, 23, *5*, ubi poeta de suis tabellis perditis queritur

Illæ iam sine me norant placare puellas,

in lectione *puellas* bonos libros consentire, et solos Italos lectionem *puellam* præbere.

Quæ si omnia iure posita sunt, nobis quærendum erit cur in elegia 24 poeta Cynthiæ valedixerit, et post quinque annos iugum iam mite factum exuere voluerit. Puto Cynthiam, cum frigidiorem poetam esset experta, antiquum imperium resumere voluisse; illum vero, iam sui magis compotem et ad alia versum, parum urbano modo ei in

mentem revocasse, quo nunc loco res starent: « illam iam prope anum esse, quæ tamen beatiores amatores reciperet, neque se iam inter convivia risum esse velle ; se illam non iam curare ; iret quo vellet; » et Cynthiam post breve tempus, cum sibi extremum et verum amicum sua culpa avehi videret, et, mortuo iam marito, forsan et matre, suam domum vacuefieri sentiret, Propertium precibus retinuisse ceteroqui iam consuetudine ita paratum ut solus non diu remanere potuisset.

Ad quartum librum accedamus, ubi tres sunt elegiæ, quæ ad Cynthiam spectent. Nam 5 ad Cynthiam esse referendam optime vidit Herzbergus (comm. ad hunc locum, p. 443), dubitante Luetiohanne (Commentationes Propertianæ, Kiliæ, 1869, p. 55), probante Scharfio (Quæstiones Propertianæ, Halis Saxonum, 1881, p. 30). Etenim vv. *55-56* interpolationem redolere fateor. Sed vv. *53-54* ad poetæ condicionem certo spectant, et voces *nostræ amicæ* (v. *63*) non, nisi de Cynthia, Propertius dicere potuit. Constat igitur illo tempore Cynthiam lenæ ministerio usam fuisse. Elegia 8 illud evincit, non tantum amorum memoriæ, sed amoribus quoque, immo contubernio, post quinquennium fuisse locum. Nam Lygdamum illum, quem e III, 6 Cynthiæ fuisse servum constat, in ea domo invenimus, ubi Propertius, qui eum vendere iubetur, dominus esse videtur. Aliunde ex elegia 7 elucet Propertium, mortua Cynthia, Cynthiæ servas apud se habuisse. Quid postea? Credimus post quinquennium Cynthiam, iam liberam et veram meretricem, cum poeta vi consuetudinis vixisse, et se in poetæ domum transtulisse. (Nam elegia 8 in Esquiliis agitur, et e III, 23, *24* Propertium Esquiliis habitavisse scimus). Illo ipso tempore et Cynthia peccabat (vide initium elegiæ), et

poeta, quod elegia ipsa testatur, non iam suam gravitatem celebrare potuisset. Veritatem de altero uterque noverat, et ob eam unam causam Cynthia irascitur, quod Propertius in ea domo, ubi una vivunt, peccans eam videatur deridere. Iam si elegiam 5 consideremus, lenæ consilia, quæ poetam excludi vult, non in Propertii domo dari potuerunt. Unde fit verisimile Cynthiam non semper cum Propertio vixisse, sed sæpius, ut liberior foret, suam alibi, probabili modo in Suburano vico (7, *15*) habuisse domum, non ut illum modo decantatum prætorem, cujus titulo nobis aures obtundunt, reciperet, sed alium quoque quemvis beatum amatorem ; illud tamen vitæ genus inter eos intercessisse, ut uterque in alterius domo se in sua ipsius domo credere posset, exceptis tamen temporibus, quibus Cynthia nimis fideliter lenæ consilia sequebatur. Puto tali tempore Cynthiam decessisse, id est, cum poeta non reciperetur ; sic eam vilibus obsequiis fuisse sepultam ; poetam vero posterius eius servos et servas in suam domum, illis bene notam, deportavisse, ut novæ dominæ, quam sibi interdum comparaverat, servirent. Quæ de veneno sibi dato Cynthia mortua dicit (7, *36*), nihili facio (nam de veneno nimis sæpe fit mentio, cf. II, 32, *27*, et veneficium locus quidam communis fuisse videtur).

Quæ post Cynthiæ mortem evenerint, utrum in aula poetæ lectus genialis fuerit, an cælebs obduratus mortem obierit, neque ego novi, neque alii, qui incerta de Passenno Paulo (Plin. Min., VI, 15 ; IX, 22) somniaverunt.

Ut meam sententiam paucis verbis complectar, puto Cynthiam, cum iam vivo marito plus quam libero modo vixisset, paulatim, postquam eam poeta amare cœperat, in meretricis vitam esse delapsam ; aliquem tamen primi

libri tempore modum tenuisse ; mox, refractis carceribus, in summa licentia esse debacchatam ; poetam vero, primo his vitiis vehementer affectum, utpote qui eam sincero corde amaret, postquam in secundo libro sua gaudia et suos dolores cecinisset, ad placidiorem animi statum tertii libri tempore devenisse, frequentius tamen cum Cynthia fuisse, ita ut quo artius vi consuetudinis vinculum fieret, eo liberior et vita et sensu uterque esset ; et, mortua demum Cynthia, pristinum amorem aliquantulum in animo poetæ revixisse. Ceteroqui ille poetæ animus iamdiu liber erat, et ad alia se verterat. Propertius aliquot annos post Cynthiam, paulo post annum 738/16 videtur decessisse.

CAPUT IV

DE ARGUMENTIS

CAPUT IV

DE ARGUMENTIS

Cum res ad puellam amatam, ad tempus, in quo amores contineantur, et ad ipsam amorum naturam pertinentes exposuerimus, ad alteram iam opusculi nostri partem accedendum, et omni vi nitendum ut Propertianæ poeseos genus, leges et dotes in lucem proferamus. Atque nobis hanc quæstionem multiplicem, et plures in se gravissimas quæstiones continentem intuentibus, ante omnia placuit de argumentis dicere; primum, ut ostenderemus poetam amatoriis scriptoribus optimo iure adnumeratum non amorem semper uno eodemque modo cecinisse; deinde ut videremus, cum sæpius in rebus non amatoriis versatus sit, quatenus aliis argumentis par evadere valuerit. Etenim in propatulo est poetam, qui puellam sibi ingenium facere dixerit, in primis amatoriis argumentis incubuisse. Præterea est probabile, eum pro temporibus et amoris vehementia illa argumenta variis modis tractavisse. Deinde si reputaveris amoris, sicut omnium humanorum, fluxam esse naturam, quis mirabitur Propertium, ardore iam refrigescente et in consuetudinem verso,

et hortantibus amicis, alia neque ad amorem spectantia elegiaco metro condidisse ? Hæc varia argumentorum genera distinguere, et videre, quem in quoque libro quodque genus teneat locum, nobis nunc in animo est.

Iam in primo libro, quem separatim fuisse editum constat, unice amatoriæ elegiæ insunt, exceptis duabus extremis, de quibus modo sumus locuturi; et eam fuisse causam iam diximus, cur poeta elegiam II, 31, anno 726/28 scriptam, non in illum primum librum receperit. Elegiam I. 22 ea de causa primo libro fuisse insertam apparet ut, more poetarum, lectorem Propertius suam patriam disceret ; elegiam vero 21 additam fuisse ad illustrandos versus *6-8* sequentis elegiæ (quod vidit Brandtius, p. 32). Restant elegiæ viginti, unice amatoriæ, quæ tamen non sunt inter se confundendæ.

Etenim elegiæ sex ad Cynthiam ipsam missæ sunt (vide ceterum quæ Scharfius p. 11-43 de argumentis scripserit), scil. 2, 8, 11, 15, 17, 19. Octo, quamvis non ad puellam ipsam missæ fuerint, tamen in puella et amore poetæ versantur, scil. 1, 3, 4, 5, 6, 12, 14, 18 (e quibus 1, 6, 14 ad Tullum missæ sunt, 4 ad Bassum, 5 ad Gallum, 12 ad amicum quemcumque, 3 et 18 poetam inducunt secum loquentem). Sunt igitur 14 elegiæ aperte de poetæ amoribus tractantes.

Iam supersunt tantum sex elegiæ, scil. 7, 9, 10, 13, 16, 20, e quibus iam indicavimus, Herzbergum, Knauthium (p. 8) et Scharfium (p. 13) secuti, elegiam 16, in qua ianua loquitur, ad poetæ amorem esse referendam, cum elegiæ materia non ficta, sed vera habenda sit. Sunt igitur non iam 14, verum 15 elegiæ ad Propertii amores spectantes. E quinque, quæ restant, elegiis, 10 et 13, ad Gallum missæ, in Galli amoribus versantur, ita tamen ut poeta amicum alloquens se ipsum respiciat, et in illa Gallum doceat, quæ se Cynthia docuerit

(vide finem), in hac suam condicionem miseram cum felici Galli condicione conferat (vv. *1-2*), et, quanquam mæstus sit, lætetur amicum Cynthiæ obsidionem omississe (sic enim v. *34* interpretor). Quæ de carmine 20 Scharfius dicit (p. 14), illud cum poetæ amoris condicione esse conexum, et Gallum ut prospiciat amoribus suis ea de causa admoneri a Propertio, quia poeta sua imprudentia in amore damnum fecisset, quanquam vera esse possunt, tamen mihi quidem non certa sunt, et aliud ex illa elegia elicio : nempe poetam illo tempore satis liberum habuisse animum, ut non semper se suosque amores intueretur, sed, data occasione, amicos quoque (quod ceteroqui 10 et 13 probant) curare posset, et meræ poesi inservire. Iam elegiæ 7 et 9 (ad Ponticum scriptæ), et illam opinionem confirmant, et aperte ostendunt ita sensum amatorium id temporis in Propertii animo regnavisse, ut poetam suæ poeticæ facultatis conscium esse sineret. Revocata elegia II, 31, quam ante primum librum scriptam fuisse diximus, et perpensis his nuperrime examinatis carminibus, præterea considerato elegiarum quæ ad Cynthiam missæ fuerunt vel de Cynthia loquuntur numero, veram illo primi libri scripti tempore Propertii effigiem nobis antc oculos reponere possumus. Quanquam certum est iam tum poetam ardenti amore flagravisse, ita tamen amor in eius pectus penetraverat, ut illud non totum invaderet ; ut, vi poetica excitata, non illam suo insano vertice contorqueret ; ut amator sui tamen et aliorum conscius poeta et suarum virium compos esset ; et ea de causa suo amore superbiret, quod iuvenum ardoris magnus poeta esse posset (7, *24*). Hoc tam felix æquilibrium, cui forma quasi perfecta primi libri elegiarum debetur, in secundo et tertio libro sic rumpetur, ut in illo amator, in hoc poeta dominetur.

De secundo libro locuturis pauca præfanda sunt. Constat illum librum non mediocriter depravatum ad nos pervenisse, præcipue ad finem secundi libri Lachmanniani, et circa elegiam 23, neque raro etiam alibi nodos, qui alterum Alexandrum vel potius Œdipum reposcerent, occurrere; ut in elegiis haud sine causa vexatis non semper inter viros doctos de numero ipso elegiarum constet, qui nonnullas elegias modo iure modo iniuria in duas vel tres resecaverint. Præsenti loco non vulgata solum numeratione, quam utique tenendam censemus, sed vulgato quoque numero elegiarum, nempe 34, utemur.

Ex his 34 elegiis nemo mirabitur multo maiorem partem vel ad Cynthiam fuisse missas, vel de Cynthia agere, cum in memoriam revocaverit, quod superiori capite diximus, non alio tempore poetam magis Cynthiæ amore fuisse irretitum. Sed haud semper planum est, ob elegiarum pravum statum, absolute definire quot ad Cynthiam, quot de Cynthia elegiæ scriptæ sint. Nam notum est (quod Herzbergus Quæst. p. 115 animadverterat) Propertium in una elegia non semper unam eandemque personam alloqui. Ex. g. in elegia II, 8, quæ est epistula ad amicum scripta, subito poeta cum Cynthia iurgatur (v. *13*), mox, postquam v. *17* ipse secum locutus est, v. *25* repente æmulum suum petit. Haud ignoro illam interpretationem elegiæ, quam dedit Herzbergus, non ab omnibus accipi, et elegiam, de qua agitur. ob eam causam vel in duas fuisse divisam, vel numerosis astericis apud aliquos editores lacunarum signa præbere. Sed cum traditum elegiarum numerum hoc loco servare mihi proponam, consideres velim nos ægre terram rimari debuisse, et sæpius hæsisse in carminibus uni vel alteri gregi adnumerandis.

Ad Cynthiam missæ sunt elegiæ 5, 6, 7, 9, 11, 15, 16, 18,

19, 20, 21, 26, 29, 32, 33, id est quindecim elegiæ. De Cynthia tractant 1, 2, 3, 4, 8, 13, 14, 17, 24, 25, 28, 30, 34, id est tredecim elegiæ; quod octo et viginti elegias efficit ad Cynthiam spectantes. Restant sex elegiæ, e quibus duæ, 22 et 23, de Propertio alias puellas quærente, duæ, 27 et 12, de rebus amatoriis generali modo tractant, ita tamen ut in his quatuor poeta ad suam condicionem et ad puellam amatam respiciat. Ut omnia complectar, duo et triginta in illo libro amatoriæ elegiæ insunt. Duæ tantum, scil. 10 et 31, res ab amore alienas inducunt.

De amatoriis secundi libri carminibus paulo uberius dicendum, ut eorum veram naturam indicemus. Persuasum habeo poetam ea non moderata et aliquatenus placida arte composuisse, quæ in primo libro prævaluerat, et scriptoris artificio sensuum vehementiam nocuisse; deinde, cum in nonnullis laxam solutamque, ut putabant, exeuntis Romanæ ætatis grammatici vel ineuntis medii ævi librarii compositionem, simul et transitionum penuriam repperissent. eos vitiis, quæ in animo suo amplificabant, medelas afferre voluisse; inde hæc iam per se non ita facilia carmina plus detrimenti quam auxilii accepisse. Nam certe nonnulla non a poeta hanc horrendam formam receperunt, qua ad nos pervenerunt. Veri igitur simillimum est non transitionum modo defectum, sed pravam quoque compositionem partim posterioribus manibus deberi; eas vero depravationes, quæ ex versuum transpositionibus, particularum mutationibus, resectionibus, emendationibus, uno verbo omnis generis interpolationibus constiterunt, in primis ex incerta et desultoria poetæ in hoc libro ratione originem duxisse, quæ ipsa ad affectuum violentiam sit referenda; sic iam primis post Christum natum sæculis corruptas has elegias corruptiores

ad archetypum devenisse, et illas natas esse pravarum lectionum series, in quibus explicandis iam permulti frustra desudaverint. Nam quod vult Marxius (p. 83), huius libri carmina post poetæ mortem ab amicis vel posteris collecta et edita esse, parum probabile est, cum non tam superbe de se initio tertii libri poeta loqui potuisset, nisi maiore carminum numero edito, quam primi libri carminum numerus est, fretus.

Ceterum, ne ultra præsentis commentationis terminos excedamus, nobis persuasum est nimium amorem, inter summa gaudia et amaras desperationes iactatum, his carminibus amatoriis nocuisse, neque iis modo ubi violenti animi motus deprehenduntur, sed etiam aliis, et poetam non iam sui compotem non suæ artis etiam compotem fuisse. Nam in extremis libri elegiis, ubi Propertium resipuisse vidimus, nonnulla vitia reperire est, et in universum hunc librum, quamvis fortasse delicato palato suavissime sapiat, ceteris, quod ad poeticam architectonicen attinet, inferiorem declarare possumus.

Rem tamen falso acciperet qui, poetam id temporis suæ artis non ita compotem fuisse affirmans, illum proprii ingenii non conscium fuisse asseveraret. Certum est contra, ex variis huius libri locis (7, *18*; 20, *21-22*; 24, *1-2*), eum, edito Monobiblo, in ora hominum venisse, ut Mæcenas, cum eum verisimiliter per Tullum novisset, illum suæ poetarum cohorti adiungere vellet, nec imparem Augusteæ laudi celebrandæ iudicaret; poetam vero, cum e prospero eventu veram sui ingenii naturam se dignoscere putaret, non ab amatoriis argumentis recedere voluisse. Quod apparet ex elegiis 1, 12, 34 simul consideratis. Nam cum prima elegia se, puellæ canendæ unice deditum, non heroas manus in arma ducere

posse dicat (v. *18*), in trigesima quarta Vergilium hoc opus, quod a se reposcerent, sibi sumpsisse declaret, duodecima dicit, si ipse ab Amore perditus fuerit, neminem fore qui argumenta amatoria convenienter cantet, v. *21-22*:

Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?
(Hæc mea Musa levis gloria magna tua est).

Constat igitur Propertium secundi libri tempore et heroica argumenta respuisse et sibi in poetis elegiacis non humilem locum tribuisse.

Restat ut dicamus cur nihilominus carmina 10 et 31 in secundo libro reperiantur. Nemo sine aliquo suæ libertatis damno in magnorum commercium venit. Tu, in amicitiam regum receptus, te liberum esse credis, et tuo arbitrio agere. Nonnunquam tamen rationem reddere debes, cur sic agas (quod elegiæ 1 et 34 testantur); tamen tibi aliquo modo aliorum benevolentia rependenda est; quod sensit Propertius qui prima elegia dicit se, si epica iuga attingere posset, non antiqua argumenta, sed Augusti et Mæcenatis facta esse celebraturum (*17-38*). Iam iusta causa erat cur epistulam anno 726/28 scriptam (el. 31) suis scriptis insereret. Quis præterea miretur eum aliqua Cynthiæ culpa in desperationem versum aliquotiens mente agitavisse amicorum hortationibus obtemperare? Nam e tali animi statu elegiam decimam esse ortam, consideratis versu *8* (Bella canam, quando scripta puella mea est) et elegiæ 11 vicinitate, quis neget? sed si parvulum in illo secundo libro non amatoriorum argumentorum numerum observaveris, non fieri potest quin nobis concedas illam, de qua agitur, decimam elegiam falso a Lachmanno suo tertio libro fuisse præpositam. Si secundus liber in duos resecandus

est, ab elegia 12 incipit, et accurate scripta, et mæstum, aliquo tamen modo placidum animi statum exprimente, qui cum extremis tertii libri Lachmanniani elegiis quadrat (nam elegiæ in capite libri cuiusdam positæ haud raro inter extremas compositæ sunt).

Iam e secundo procelloso et Cynthia pleno libro ad tertium venimus, ubi et amor remissior est, et Cynthiæ minus spatium assignatur. Nam cum plures elegiæ non amatoriæ insunt, tum amatoria carmina, quæ pauciora quam in præcedentibus libris occurrunt, haud raro præterea plane differentem naturam præbent. Quod tibi statim se offeret, si tertii libri prooemium cum primi et secundi libri prooemiis comparaveris. Etenim cum I, 1 Propertius de sua desperatione tantum loquatur; II, 1 quæque Cynthia fecerit suæ poeseos solos fontes esse profiteatur, ut in animo eius tyrannico modo dominari amicam luce clarius videamus; (cum præterea II, 12, quam elegiam forsitan novo libro præpositam fuisse diximus, ab Amore in universum loqui orsus mox ad se et suæ puellæ lumina nigra redeat); in III, 1 contra de se tantum et suo poetico merito dicit, et uno versiculo frigide Cynthiam attingit (v. *40*):

Gaudeat in solito tacta puella sono,

ut sentias illo tempore poetam, suarum virium conscium, amatorem, ut ita dicam, in suam ditionem redegisse, non ut amator perfecte in obscurum detruderetur, sed ut poetæ ingenio inservire deberet.

Iam enumeremus quot in illo libro elegiæ amorem spirent, quot elegiacum poetam suæ artis conscium redoleant, quot absolute ab amore alienæ sint.

Ad Cynthiam missæ sunt elegiæ 15, 19, 20, et 24 ubi illi poeta valedicit. De Cynthia paulo uberius agunt elegiæ 6, 8, 10, 11, 16, 17, 21. Confitendum est tamen in carmine 11 poetam a Cynthiæ potentia orsum mox in unam Cleopatram invehi, ut in ambiguo sit quis verus Propertii finis fuerit, utrum in amore versetur elegia, an illa de feminarum potentia exempla poeta congesserit ut pistrinæ illi caudæ, quæ de Cleopatra agit et vera elegia esse videtur, caput quoddam præfigeret. Iam elegiam 17, ubi poeta Bacchum orat, ut suis curis medicinam mero afferat, Propertius verisimiliter scripsit ut suas in dithyrambo vires experiretur.

Veniamus ad alias elegias in quibus, quamvis res in universum amatoriæ tractentur, tamen magis poetam elegiacum de sua materia disserentem quam turbatum amatorem deprehendas. Septem huiuscemodi elegias habemus, nempe : 1 et 2, quas Muretus et Scaliger iunxerunt; 3, 5 (ubi Propertius profitetur se, præsenti tempore in elegia versatum, provectiore ætate naturæ leges esse celebraturum); 13 et 14, ubi Romanarum feminarum mores antiquis vel Spartanis moribus opponit; et 23, ubi de suis deperditis tabellis queritur, quæ puellas placare noverant.

Iam restant sex elegiæ ab amore plane alienæ, scil : 4, ubi tamen de caræ puellæ sinu noster loquitur, sed quæ præcipue Cæsaris armis fausta omina canit ; 7 (de Pæto mortuo); 9, ubi materiam iam II, 1 tractatam incudi reddit ; 12 (ad Postumum de eius uxore); 18 (de Marcelli morte), et 22 (ad Tullum de eius in longinquis regionibus mora). Tria igitur carmina (7, 12, 22) amicum amicos curantem, tria (4, 9, 18) poetam Mæcenatis gregi adscriptum significant, quibus novissime citatis forsitan carmen 11 addendum est.

Quod si nunc hos varios numeros consideraverimus, ex argumentis tractatis elucebit poetam illo tempore non iam in Cynthia fuisse deperditum, sed liberiore animo sua carmina scripsisse, ut non suam tantum condicionem respiceret, sed res amatorias generali modo et quasi de superiore loco intueretur; simul illum magis sui poetici ingenii fuisse conscium et sibi aliquo modo elegiæ principatum detulisse; præterea paulatim, prout a Cynthia recederet, etiam rerum amoris terminos esse transgressum, ut et amicis, et patriæ laudi inserviret. Quæ certa indicia et paucitatis amatoriarum elegiarum in quarto libro rationem reddunt, et contra eos faciunt, qui ea de causa hunc extremum Propertii librorum ab illo abiudicare voluerunt.

Quartum illum librum paucis absolvi licebit. Undecim elegiæ insunt (nam de prima in duas divisa iam sumus locuturi). Ex his 11 elegiis tres tantum, iam supra excussæ, ad Cynthiam spectant, nempe 5, 7, 8.

Ex octo, quæ restant, elegiis, primum el. 3 et 11 consideremus, quæ, quanquam poetam amantem non inducunt, tamen verum amorem spirant, et cum nonnullis præcedentis libri carminibus comparari possunt. Nam elegia 3 elegiæ III, 12 similis est, cum in utraque de uxore a marito stipendia merente derelicta agatur. Ea tamen differentia inest, quod in III, 12 poeta maritum alloquitur, in IV, 3 uxorem loquentem simulat. Ceterum ex argumentorum similitudine quidam collegerunt easdem personas designari, quod Luetiohannes (p. 56) neque evinci neque infringi posse declarat. Certum est tamen veras et vivas personas significari, ex quo apparet, quod Luetiohannes vidit, eos paulum a vero aberrare, qui eam elegiam primum exemplum esse volunt epistularum, quas Ovidius ab heroinis scriptas simulavit. Iam elegiam 11,

vulgo Corneliæ epicedium et a Koppiersio, teste Bootio (Bijdrage tot de kritiek en verklaring van Propertius'laatste elegie, Amsterdam, 1864, p. 1) elegiarum latinarum reginam appellatam (de koningin), iure Scharfius (p. 32) confert cum III, 7 et III, 18 ubi de Pæti et Marcelli morte agitur. Fatendum tamen in epicedio Corneliæ, in qua Cornelia mortua maritum alloquitur, cum formam, tum sensus valde præstare, et cum idem de IV, 3 cum III, 12 collata dicere possimus, in aperto est poetam in his argumentis, ubi de aliis agitur, paulatim profecisse.

Restant sex elegiæ, nempe 1, 2, 4, 6, 9, 10. De prima iure Luetiohannes (p. 47) dixit illam periegesi Urbis Romæ, quam scripturus erat, poetam prooemii loco præposuisse. Alteram huius elegiæ partem (vv. *71-150*), Plessisius (Propertiana, 1886) separatam elegiam esse merito affirmat, ita tamen ut e prioribus versibus initium ceperit. Ad illam periegesin (non fastos, ut Lachmanno placuit, aut potestatis Romanæ Origines, ut Herzbergo, 1, *69*

Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum)

pertinent elegiæ 2 (Vertumnus), 4 (Tarpeia), 9 (de Hercule), 10 (Jupiter Feretrius). Nam in unaquaque harum quattuor elegiarum causas affert unde loci aut numina nomen duxerint. Has pauca in se habere quibus admirationem moveant (excepta fortasse Tarpeia) cum Plessisio (*Études critiques*, p. 297) fateor, neque credibile est poetæ gloriam per talia carmina ad hibernos Borysthenidas pervenire potuisse (unde quidam falso, nam metricæ causæ obstant, hæc carmina Propertii adulescentiæ tribuerunt). Contra elegia 1ª valde laudanda est, et elegiæ 6, quæ per se stat et Actiacam victoriam

celebrat, sed anno tantum 738/16 scripta est, neque maiestas neque vis quædam desunt.

Quod si nunc ante oculos varia a Propertio tractata argumenta proposuerimus, iam aliquam poetæ effigiem delineare poterimus. Vere elegiacum sensum habebat, quippe qui non modo sentire, sed suos interiores motus mentis oculis videre posset, et illi satis amplam materiam Cynthia suppeditavit. Eius tamen poetico ingenio aliquo tempore ipsa vehementia amoris nocuit, ita tamen ut ubique eius ignibus incalescas, et non sine causa sibi ipse palmam elegiæ tribuit. Ei tamen sublimior animus erat quam ut in se semper converteretur. Nam et aliorum amores suaviter et elate cecinit, et quotiescumque de Roma dixit, Romana maiestas in eo spiravit, neque impar his civilibus argumentis, quæ modo delibavit, evadere potuisset. Sed in unice antiquis argumentis tempus, me quidem iudice, et oleum perdidisset.

CAPUT V

DE INVENTIONE

CAPUT V

DE INVENTIONE

Cum de argumentis dixerimus, et exposuerimus quibus in rebus singulæ elegiæ versentur, restat ut earum materiam introspiciamus et sententias ex quibus constent paulo accuratius persequamur; ut e nostra commentatione appareat quid sibi, quid aliis debeat poeta; quid ex animi sui latebris deprompserit, quid ab externis exemplaribus sit mutuatus. Atque nobis hanc quæstionem tractaturis visum est de priore parte brevius, utpote quæ antecedentibus capitibus aliquo modo delibata sit, de altera vero aleæ pleniore, cum non raro fontes delitescant, paulo uberius dicere.

Ante omnia ex omnibus, quæ supra dicta sunt, apparet verum fuisse poetæ amorem, Cynthiam certam quandam fuisse feminam, quam Propertius deperdite amaverit, neque illum fictæ puellæ amore, multorum more, frigide flagravisse, ut in fictis rebus poetice lasciviret. Totum opus verum animum redolet et veros sensus in lucem profert. Hanc certo certiorem opinionem, sine qua superiora capita nullius pretii essent, non hoc loco recantaremus, nisi qui fuissent, ex. g. Faltinus (progr. gymn.

Eisenberg, 1876), qui audacter negarent Propertium, præcipue in suo amore describendo, veros eventus aut veros animi affectus adumbrasse. Pro demonstrato ergo et certo habemus Propertii carminibus veras res, veros sensus subesse.

Quæ si ita sunt, non mirum erit plerasque illius elegias ex iis certis eventibus fuisse ortas, ita ut primam illarum elegiarum materiam, et quasi fundamentum, res definitæ suppeditaverint. Et revera permulta facta apud Propertium invenimus, e quibus priora capita defluxerunt. Cynthiam non nube obvolutam, sed in clara luce videmus ; eius ingenium et mores novimus ; neque amorum decursum et naturam ignoramus, et, poeta duce, eius vitam et amores evolvere potuimus. De carminibus non absolute Cynthiacis, ex. g. his quæ ad Mæcenatem missa sunt, vel non amatoriis, ex. g. carmine de Marcelli morte, tacemus, cum certum sit vera facta his elegiis subesse. Ergo positum sit veras res in plerisque Propertianis carminibus contineri, quas ille dignas quæ celebrarentur iudicaverit; ex his veris rebus pleraque esse orta, et in his poetam suæ inventioni firmum fundamentum habuisse. Nam si eos, qui mera facta referunt, versus consideraveris, non contemnendum numerum invenies.

Sed, ne diutius in quæstione per se clara commoremur, iam dicamus Propertium ea facta, quæ suis carminibus primam materiam præbuerint, non nude exposuisse, ne epico quidem modo, ubi poeta in materia dominari videtur ; sed elegiaco more affectus, qui his factis in ipsius animo excitarentur, addidisse, et inde facta novum pretium cepisse quod ubique ad poetam referrentur. Hoc duobus modis, ut par est apud elegiacos, fieri solet. Aut

poeta, in se ipsum conversus, quid e narratis factis sibi defluat ostendit, ut eum modo lætitia elatum et inflatum, modo mærore confectum et futuræ mortis cogitationem versantem videamus ; aut, sua cum aliorum amatorum condicione collata, res amoris in universum contuetur. At, dicet aliquis, ea non Propertii propria sunt, sed unicuique elegiaco poetæ conveniunt. Fatemur, sed nobis supra demonstrasse videmur poetam sua condicione peculiari modo fuisse perturbatum, ut vere suum animum in carmina effudisse dici possit. Quis lector, hanc veterem et novam infelicis amoris historiam evolvens, non cum ipso poeta commovetur ? Quis Romanum poetam legens non in eius opere aliquas suæ vel æqualium vitæ particulas vivis coloribus depictas deprehendit ? Hæc omnia vera sunt, quia humana, et humana quia ab homine ipso, id est ab imo eius pectoris recessu eruperunt. Originem ergo Propertianæ poeseos Propertium ipsum declaramus, et antequam quid suæ arti debuerit inquiramus, illud liquida voce profiteamur, eum nulli magis quam sibi debuisse.

Hæc sola, quæ diximus, nempe aliquorum eventuum vivida narratio, et motus animi, qui ex his defluunt, ut poeta modo suam, modo omnium amantium condicionem respiciat et queratur, bene tractata ad poetam efficiendum satis essent. Sed alia sunt, quæ apud Propertium invenimus. Primum, ceteroqui morem plurimorum secutus, ut res melius illustret, eas cum his rebus, quas nobis natura præbet, aliquando confert. Ex. g. ad amicæ pulchritudinem illustrandam scribit II, 3, *11-12*

Ut Mæotica nix minio si certet Hibero
Utque rosæ puro lacte natant folia.

Ut se suum amorem non alio transferre posse significet (II, 15) quattuor versibus (*31-34*) dicit hoc non nisi post eversas naturæ leges eventurum. Vide quoque versus *51-52*, et passim. — Nonnunquam his e natura petitis exemplis utitur non ut res vividius illustret, sed ut nova ad suam sententiam probandam argumenta proferat, ex. g. II, 5, *19-20*, ubi suam amicam commonefacit, ne sua ipsius lenitate abutatur:

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti læsa repugnat ovis.

Cum Cynthiam (I, 2) vituperat nimio vestitui indulgentem, plura argumenta affert e natura petita, quæ artem nihil addere, immo plerumque nocere demonstrent (vv. *9-14*). Huiusmodi exempla passim inspersa invenies, unde iudicare potes illum naturæ rerum sensum, quo Tibullus effloruit, non a Propertio alienum fuisse.

Sed ea, ut diximus, passim et parce inspersa sunt, neque numero exemplorum sunt comparanda, quæ poeta e veteribus mythologiæ fabulis, vel ad illustrandas, vel ad probandas suas sententias hausit. Indici nominum, quem Luc. Muellerus suæ editioni addidit, undecim paginæ necessariæ fuerunt. Propertii carmina non nisi ab antiquarum fabularum peritis legi possunt. Huius scientiæ tirones lente progrediuntur, doctorum adnotationibus velut adminiculis nitentes. Fuerunt etiam qui cum Herzbergo contenderent poetam non solum gravi doctrinæ mole oneratum incedere, sed etiam consilio usum remotas et obscuras fabulas esse secutum, et neglegenter diversa promiscuisse. Contra quos Hauptius (Opusc., II, p.60) et Kar. Weberus (Quæst. Prop., p. 25) dixerunt. Sed certum est tantam mythologicæ scientiæ congeriem apud paucos

inveniri, unde orta est illa opinio quæ nostrum Græcis poetis adnumerat. Unum e sescentis exemplum afferam : ut indicet quanta gaudia felici nocte collegerit, quattuor exemplis utitur, ut octo versibus elegia incipiens stare videatur (II, 14, *1-8*):

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnæ Laomedontis opes,
Nec sic errore exacto lætatus Ulixes,
Cum tetigit caræ litora Dulichiæ,
Nec sic Electra, salvum cum aspexit Orestem,
Cuius falsa tenens fleverat ossa sinu,
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Dædalium lino cum duce rexit iter;
Quanta ego etc.

Post tot ac tam clara exempla, nemo mehercule quale eius fuerit gaudium ignorabit ! Nonnunquam hæc e mythologia deprompta exempla usurpat ut suam sententiam corroboret. Ex. g. II, 28, *17-24* Io, Ino, Andromede et Callisto ostendunt sæpe vexatæ vitæ pericula feliciore sorte finiri. Ceterum, ut supra diximus, ad rem, quæ sponte legentibus occurrat, probandam e pleno et abundanti fonte haurire liceret.

Restat ut huius tantæ, et, ut aperte dicamus, aliquotiens fastidiosæ scientiæ rationem reddamus. Certe dici potest nos recentiores de antiquo poeta male iudicare, si in eum invehamur, quod iis exemplis usus fuerit, quæ suæ ætatis hominibus nota et quodammodo trita essent. Sed hæc est falsa quæstionis positio. Ceteri fere poetæ talibus fabulis usi sunt ; usitata ad hoc eruditio sufficiebat, qua cum unusquisque poeta, tum unusquisque urbanus lector erat instructus. Quæritur cur Propertius, præ ceteris Romanis, etiam Augusteæ ætatis,

poetis, ita his fabulis usus sit, ut illis abuti videatur ; eas ita suis elegiis inseruerit, ut nonnunquam aliis rebus nimis exiguum spatium relinquant. Non ultra progredimur ; nam veros affectus etiam in hoc tanto scientiæ mari supernatare, iam diximus.

Certum est hanc nimiam rerum mythicarum scientiam et ostentationem poetarum Alexandrinorum imitationi esse adscribendam. Propertius ipse fatetur se Callimachum et Philetam esse secutum (III, 1, *1-4*) :

> Callimachi Manes et Coi sacra Philetæ,
> In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.
> Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
> Itala per Graios orgia ferre choros.

De ultimi versus translatione certant. Hoc tantum dicit poeta, se res Romanas, Romana μυστήρια Græca forma esse celebraturum. De Callimacho et Phileta, qui principem in schola Alexandrina locum obtinuerant (vide Couatium, *De la poésie alexandrine,* 1882) non præsenti loco disseremus. Hoc nobis satis sit illos sæpius a poeta designari, nempe Callimachum sexies (II, 1, *40* ; II, 34, *32* ; III, 1, *1* ; III, 9, *43* ; IV, 1, *64;* IV, 6, *4*), Philetam quinquies (II, 34, *31;* III, 1, *1* ; III, 3, *52;* III, 9, *44;* IV, 6, *3*), ita ut eos duces sibi et elegiacis poetis esse profiteatur (nam II, 34, *32* voces *non* et *inflati* iungendæ sunt), et se Romanum Callimachum appellari velit (IV, 1, *64*). Nunc de hac certa imitatione videndum.

Poeta declarat se primum e puro fonte hausisse (IV, 1, *3*); sed omnes fere poetæ idem de suo genere dicunt; et revera multos alios invenias, qui illo tempore Alexandrinorum

imitationi incubuerint. Nam et Catullum et Ovidium, ut de minoribus taceam, multum illis debuisse nemo est qui neget, ita ut ab iis cum carminum suorum argumenta, tum elocutionis flores et ipsam metri formam mutuarentur. Nota est illa opinio Romanos adhuc aliquo modo rudes et magnis ingeniis exprimendis impares per humiliores Alexandrinæ scholæ poetas, velut per gradus quosdam, ad præclara Græciæ nomina accessisse. Credendum igitur hos Alexandrinos poetas persæpe id temporis Romanis manibus fuisse tritos, ut non modo in elegantioribus circulis laudibus efferrentur, sed etiam in scholis discipulorum admirationi proponerentur, unde effluxit illa docta Augusteæ ætatis poetarum Romanorum cohors, quæ profanum vulgus oderat, quippe quæ non usitata doctrina esset instructa. Quærendum quid his Alexandrinis magistris noster debuerit.

Hanc quæstionem intuentibus Propertius ex iis triplici modo æs alienum suscepisse videtur.

Iam primum eam ipsam, de qua verba fecimus, exemplorum et argumentorum mythologicorum congeriem longo cum Alexandrinis commercio debuit. Illi enim mythorum scientiæ erant dediti, et apud eos permagnam veterum fabularum notitiam reperire est, ut non raro obscuras magnorum scriptorum partes non nisi Alexandrinorum doctrina freti explanare valeamus. Inde evenit ut ii, qui Callimachi et ceterorum lectioni incubuerant, in vasto et aperto exemplorum campo versarentur, ut iis ad unamquamque rem numerosa similia memoria suppeditarentur. Quis ergo miretur varias sententias non in mentem Propertii venisse nisi magna exemplorum caterva comitante? Amicam suam flentem videt; subito ei abducta Briseis, captiva Andromacha occurrunt, et sic scribit (II, 20, *1*-2):

Quid fles abducta gravius Briseide? Quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?

Versibus sequentibus, Cynthiam ponit de sua fraude deos fatigantem et querentem amatoris fidem cecidisse; repente ei Philomela et Niobe in mentem veniunt (vv. 5-*8*):

Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis,
Nec tantum Niobæ bis sex ad busta superbæ
Sollicito lacrimæ defluit a Sipylo.

(Muelleri lectione utimur). Mox Danaes domui occurrimus, ut prior huius elegiæ pars e talibus exemplis constet. Neque nego talia exempla apud alios quoque scriptores inveniri; sed illa eo modo ad manum habere, ut suas elegias ad satietatem refercirent et suo ingenio cohærere viderentur, assiduus tantum poetarum Alexandrinorum lector et imitator poterat.

Neque exempla modo, sed metaphoras quoque et sententias ab Alexandrinis Propertium esse mutuatum constat (vide Malletum, Quæstiones Propertianæ, Gottingæ, 1882, p. 1-33; et Kirchnerum, De Propertii libro quinto capita sex, Wismar, 1882, qui de quarto, quinto Lachmanniano, libro tantum egit p. 45-85). Nam ea similia quibus ex diverso flumine bibisse poetas elegiacos epicosque poeta ait (III, 3, *5* seq., *51* seq.), vel quæ artem poeticam aut cum navigatione aut cum equorum curriculo comparant (III, 3, *22*; III, 9, *3* seq. et *35*; II, 10, 2, etc.) iure Malletus Græcis, etiam Callimacheis fontibus tribuit. Multa alia Malletus affert imitationis Alexandrinæ vestigia, ex. g. locos ubis poeta dicit Cupidinem in capite iuvenis pedes ponere (I, 1, *4*), amantis pectus innumerabili-

bus sagittis esse perfossum (II, 13, *1*), amantium iusiurandum omnino nihil valere (II, 28, *8*), faciem puellæ amatæ cum liliis, nive, lacte, rosis comparat (II, 3, *9* seq.), et cetera quæ post illum enumerare tæderet.

Pauca adicere liceat. Etymologiarum scientiæ Alexandrinos indulsisse novimus (vide Couatium, *De la poésie alexandrine*, p. 159). Præter etymologias quarti libri apud Propertium Calliopeæ etymologiam invenimus (III, 3, *38*):

Ut reor a facie, Calliopea fuit.

Ceteroqui falsa etymologia est. Nam Calliopea a vocabulo ὄψ (vox), non a vocabulo ὤψ (vultus) originem ducit. — Callimachus sua *Aetia* somnii forma præbuerat (somnia Callimachi, II, 34, *32*). Propertius eum ducem habuisse videtur cum III, 3 fingeret se Heliconis in umbra recubantem ab Apolline et Calliopea ab epicis argumentis ad elegiaca fuisse revocatum. — Philetas suam amicam orabat ut sui etiam post mortem non oblivisceretur (Stob. Floril., IV, 129 ; Couat., p. 75-76). Hæc sententia ter apud Propertium occurrit, nempe I, 19 ; II, 13 ; III, 16. Certum est igitur multas metaphoras et sententias Propertium ex Alexandrinis hausisse.

Ultra aliquando eorum imitatione progressus est. Nam tota argumenta ex iis desumpsit. Illud cum diversis Alexandrinorum fragmentis, quæ supersunt, tum magna ex parte hoc facto evincitur, quod Paulus Silentiarius, qui Iustiniani tempore Byzantii carmina elegiaca et multa epigrammata composuit, nonnunquam eadem argumenta ac Propertius tractavit, unde colligi potest, cum trita tantum ab Alexandrinis argumenta in utroque reperiantur, non ea Paulum Silentiarium a Propertio esse mutuatum, sed utrumque poetam ex veterio-

ribus Propertio Græcis auctoribus talia argumenta desumpsisse (Mall., p. 56).

Iam in primo libro hæ sunt elegiæ quibus Alexandrina origo tribui potest : 2, ubi poeta dominam orat ne nimio cultu nativam pulchritudinem perdat (Mall., p. 33) ; 3, ubi poeta ebrius ad Cynthiæ dormientis lectum accedit (Mall., p. 40) ; 16, ubi ianua de dominæ turpi vita queritur et amator duritiem puellæ amatæ fletibus vincere conatur (talia carmina παρακλαυσίθυρα vocabantur, Mall., p. 44) ; 17, ubi poeta, in vero vel ficto itinere, se ipsum incusat quod puellam fugere potuerit ; 18, ubi amator repudiatus in silvarum solitudinem recedit (Mall., p. 46) ; 19, ubi poeta veretur ne forte suus pulvis amore puellæ vacet (vide supra) ; 20, ubi de Hyla agitur ; quod argumentum a Theocrito (Id., 13) et Apollonio Rhodio 1, 1207-1272 fuerat tractatum, quamvis Propertius narratiunculam, qua Zetes et Calais inducuntur, addiderit. Neque ea sic accipi velim ut me dicere putes Propertium omnia ab Alexandrinis deprompsisse. Opinor tantum eum in variis suæ amatoriæ vitæ condicionibus Alexandrinorum operum, quæ similia tractarent, non fuisse immemorem, et ibi exemplar quoddam ad suam materiam tractandam invenisse, ut in eius elegiis pars veritas, pars ornamentum esset.

In secundo libro minorem numerum carminum invenimus quæ Alexandrinam imitationem redoleant. Hæc sunt : 12, ubi poeta Amorem depingit, quamvis posteriori parte ad suam Cynthiam redeat (Mall., p. 47) ; 29, ubi poeta e convivio rediens Amorum turbæ minutæ occurrit (imitationem tamen Alexandrinam ibi plus sentimus quam demonstrare possumus, vid. Mall., p. 38) ; 30, in hac quoque vexata elegia imitationem magis suspiceris quam demonstres.

In tertio libro Alexandrinæ imitationi adscribendæ sunt :

1-2, ubi elegiacam artem extollit poeta; 3, ubi se elegiacæ arti natum esse declarat; 10, ubi de natali Cynthiæ agitur; 14 (de Spartanis virginibus); 15 (de Antiope et Dirce); 17 (de Baccho); 19 (de mulierum libidine). Alias etiam citare possemus elegias quæ Alexandrinorum imitationem mythologica eruditione sapiant; sed hoc loco tantum de his elegiis verba facimus, quæ ex loco quodam communi ab Alexandrinis sæpe tractato originem ducere videntur.

In quarto libro citemus: 3 (Arethusæ epistula ad Lycotam missa) ubi multa, quamvis de Romanis personis agatur, Græcis exemplaribus referenda sunt (non Ovidio, vid. Kirchnerum, cap. VI); 5 (de lena, id., ibid.); 7 (Cynthiæ umbra, Mall., p. 62; Kirchner, p. 62 et seq.). — Neque solam hanc quarti libri septimam elegiam Græcis exemplaribus noster debuit, sed ipsam suorum epicediorum originem. Novimus enim talia carmina in favore Alexandrinorum fuisse. Huius generis quinque carmina cecinit Propertius, nempe I, 21; III, 7 et 18; IV, 7 et 11. Ad hoc, in Propertii epicediis plurima Græcæ imitationis vestigia invenimus (Mall., p. 57-63).

Constat igitur non solum magnam rerum mythologicarum doctrinam, quam apud Propertium reperimus, sed etiam nonnullas metaphoras et sententias, immo non contemnendum elegiarum ipsarum numerum Alexandrinis poetis originem suam debere; unde colligi potest nostrum poetam diu ac sæpe hos poetas lectitasse, et nocturna diurnaque manu esse versatum.

Ea, quæ hucusque diximus, imprimis ad amatorias elegias spectant. Mirum fortasse videbitur poetam Alexandrina doctrina tali modo instructum non ea fuisse obrutum. Illum felicem eventum eius amoris veritati adscribimus; quod demonstrant pauciora Alexandrinæ imitationis (exceptis

tamen e fabula desumptis exemplis) in secundo libro vestigia, ubi Propertium violentius fuisse commotum vidimus. Ceterorum librorum tempore et veri sensus et imitatio iustum sibi locum in opere Propertiano invenerunt, unde melius secum cohærentes et peritiore modo constructæ elegiæ natæ sunt. Nam quamvis a nobis recentioribus ante omnia veritas extollatur, etiam arti sua laus est tribuenda, neque iis assentirer qui ob eam Alexandrinam imitationem nostrum despicerent. Adstipulor enim Schulzio, qui (Römische Elegiker, 3[te] Auflage, Berlin, 1890, p. 105) dicit in Propertii carminibus docta exempla sensuum ardorem moderatiorem simul et elatiorem efficere (gemässigt und geadelt). Et, ut meam sententiam expromam, ibi mihi præcipue Propertius præcellere videtur, ubi duæ res pari modo coniunctæ sunt, ex. g. el. II, 12, quam, quamvis in secundo libro contineatur, placidiore animo scriptam fuisse diximus. Ibi enim 12 versus poetæ Alexandrinorum imitatori, 12 Propertio ipsi amanti tribuendi sunt.

Ut ea, quæ ad inventionem spectant, absolvam, pauca adicienda sunt quæ præcipue ad carmina non amatoria pertinent. Cum in quibusdam elegiis de certis personis agatur, non mirum erit quædam harum personarum vita poetæ fuisse subministrata, ex. g. cum de Marcello (III, 18) dicat :

> Quid genus aut virtus, *et q. seq.*

In his carminibus, quæ de quibusdam ad Romanam historiam pertinentibus tractant, certum est Propertium, quamvis ad talia argumenta suscipienda a Callimacho duce impulsus sit, Romanos fontes exploravisse, præcipue Varronem et Livium, quod Tuerkius demonstravit (De Propertii carminum, quæ pertinent ad antiquitatem Romanam, auctoribus,

Halis Saxonum, 1885). In his vero elegiis, ubi de suæ ætatis factis locutus est, ex. g. de Cleopatra vel de rebus ab Augusto præclare gestis, nulli rei magis debuit quam suo patriæ Romanæ amori, quem vivum imo pectore fixum habebat.

Quod ad alios illius ætatis Romanos poetas pertinet, aliqua e Tibullo desumpsit Propertius (vide Marxium, p. 41); finis elegiæ III, 5 a versu *23* ad finem certe Vergilio debetur (Georg., II, 475-486). Ovidio nihil noster debuit, nisi artem metricam perfectiorem; qui contra furaces manus in opus amici natu maioris sine modestia intulit (de hac re vide Zingerleium, Ovid und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen röm. Dichtern, Innsbr., 1869-71). Sæpe tamen similitudo amborum communi fonti, nempe Alexandrino, tribuenda est.

Si nunc omnes Propertianæ poeseos fontes complectemur, fatendum erit sibi et suo amori poetam plurima debuisse; magnam tamen et gravem eius operis partem Alexandrinæ origini esse referendam; aliqua illum ex aliis fontibus desumpsisse; ita tamen eum has e diversis locis petitas materias tractasse, ut primum in plerisque elegiis eius persona et amor sibi locum vindicarent; ut, etiam in his carminibus, quæ Alexandrinam imitationem maxime redoleant, poeta nonnunquam oneratus, nunquam obrutus videatur; ut arti sine iactura naturæ suæ inservire potuerit.

CAPUT VI

DE DISPOSITIONE

CAPUT VI

DE DISPOSITIONE

Hæc varia elementa, e quibus Propertianas elegias constare vidimus, quo modo poeta iunxerit, qua arte in eorum dispositione sit usus, nunc disquirendum. De hac re non variæ modo, sed prorsus diversæ et etiam oppositæ fuerunt virorum doctorum opiniones. Cum enim alii contenderent perfectum elegiarum esse ordinem, ut pleræque in tres partes dividi possent, et in eis strophæ et antistrophæ, quæ sibi responderent, reperirentur, et uno verbo totam tragicorum chororum artem præberent ; alii contra affirmaverunt compositionis artem plane poetæ defuisse ; unde varia de poetæ emendandi ratione fuere iudicia. Illi enim hanc strophicam divisionem, quam in elegiis inesse dicebant, cum frequenter in tradito versuum ordine non invenirent, transpositionibus, quæ sæpius non intra unius elegiæ fines continerentur, sed varias elegias contaminarent, restituere conati sunt. Hi contra, cum poetam componendi artem non habuisse putarent, locos apertis vitiis laborantes vel secum constare asseveraverunt, vel desultoriæ poetæ rationi adscripserunt. De his taceo qui

Scaligeri vestigia secuti usque ad nostrum tempus levioribus causis freti ad suum arbitrium elegias susque deque verterunt, tempora, libros confuderunt. In hoc novum latrocinii genus, quod etiam post Lachmannum apud quosdam viguit (Gruppium et Caruttium), merito invectus est Plessisius in capite, quod de editionibus tractat.

Atque, ut iam ab initio meam sententiam expromam, hæ diversæ de Propertianarum elegiarum compositione opiniones, quas simul exstare optimo iure mireris, ex eo ortæ sunt, quod viri docti de hac quæstione disserentes non eosdem libros ante oculos habuerint, ut illi præcipue e primo libro, hi e secundo sua iudicia deprompserint.

Etenim, si primum librum consideraveris, omnia fere carmina perbene esse composita videbis, et intelleges cur, nonnullas Hertzbergi aliquo modo iustas sententias falsum in modum amplificantes, Muellenhoffius, Prienus, Drenckhahnius, alii in Propertianis elegiis tripartitam, etiam strophicam compositionem reperire voluerint.

Atque, ut de strophica compositione primum verba faciam, tres sunt elegiæ quæ mihi quidem hanc dispositionem in primis præbere videantur, nempe eleg. 13, 6 et 15 ubi strophæ quattuor, vel sex, vel octo versus continentes constitui possunt. Sed, ut elegiam 13 primum consideremus, strophæ 1 (*1-4*), 2 (*5-8*), 3 (*9-12*) satis bene per se stant. Sed de strophis 4 et 5 non idem dici potest; nam initium strophæ quintæ (Et cupere optatis *v. 17*) aperto modo e fine quartæ pendet; unde affirmare licet semel saltem poetam legem, quam sequi in animo constituisset, violavisse. Ceteroqui, ut sincero animo dicamus, strophæ 6, 7, 8 et 9 sine difficultate constitui possunt. In elegia sexta strophas sex versuum invenire valeas. Non enim adversariorum argumenta quoquo

modo impugnanda sunt. Stropha 1 : Puella sola me moratur; str. 2 : puellæ minæ; str. 3 : non mihi tanti Athenæ sunt; str. 4 : tu tuam militiam subi; str. 5 : ego meam subibo; str. 6 : memento me duro sidere vivere. In elegia 15 strophæ octo versuum insunt, nempe 1 (*1-8*): Cynthia, lenta in nostro timore venis; 2 et 3 (*9-24*): Non ita aliæ puellæ egerunt; 4 (*25-32*): tu periura, ego fidelis; 5 (*33-40*): pudenda est tua perfidia. Duo versus restant, qui conclusionem efficiunt : Noli blanditiis credere (*41-42*). Iam primum hos duos extremos versus non parem stropham constituere iure miraberis. Ad hoc strophæ 2 et 3 inter se iunctæ sunt, et male intrinsecus constructæ. Nam 2 in duas partes cadit, quarum una sex versus habet, altera tantum duos (transpositio versuum *15-16* nihil ad rem facit); stropha 3 sic dividi potest : 2, 2, 2, 2 ; ubi non videas cur, si ambas strophas simul consideres, in priore unum exemplum sex versibus exprimatur, cum illud quattuor exempla binis versibus expressa sequantur, quæ in ambabus strophis equitent. Addam stropham quintam a quarta non satis sensu novo discerni. Reicienda ergo illa strophica divisio, cum in elegiis, quæ maxime illi videantur accommodatæ, sæpe claudicet, in aliis prorsus falsa sit. Unde vides quid de hac elegiæ 8^b^ Heydenreichii (Quæstiones Propertianæ, Dresdæ, 1875, p. 19) divisione sit iudicandum, qui præterea impares strophas constituere debuit (vide contra Ottium, Die Versumstellungen bei Properz, Gross-Glogau, 1884, p. 5).

Firmioribus argumentis nititur tripartita divisio, quippe quæ satis in rerum natura sit. Rationi enim consentaneum est elegias, sicut cetera, et initium et mediam partem et finem habere. Sed huic tripartitæ divisioni non ubique locus est. Nam, ut carmina 21 et 22 nimis brevia omittam, elegia 10

ex. g. in duas tantum partes dividi potest: *1-10*, vidi Gallum amica fruentem; *11-30*, consilia poetæ. Elegia 7 in quattuor partes cadit, nempe *1-4*, *5-14*, *15-20*, *21-26*, ubi tamen, si G. Fischeri (De locis quibusdam Prop., Bonnæ, 1863) versuum *25-26* transpositionem ante v. *15* recipias, tres partes constitui possunt, nempe *1-4*, *5-14*, *25-26* et *15-24*. Elegia sexta magis intricata est, cum Propertius modo de se, modo de Tullo loquatur, ut strophicam (vide supra), sed non tripartitam divisionem admittat. Plurimæ ceterum elegiæ huic divisioni accommodatæ sunt. Nam 1 in tres partes cadit: *1-8*, dolore afficior; *9-30*, nihil mihi prodest; *31-38*, vos vitate malum. 2 item in tres partes: *1-6*, Quid nimio cultui indulges? *7-26*, cultus nihil ad augendam pulchritudinem valet; *27-32*, alias dotes habes. Ex his duobus exemplis iam videre potes varias elegiarum partes non inter se pares esse. Idem de 4 et 5 dici potest, ubi corpus elegiæ longe fusius est. In eo enim tantum errant tripartitæ divisionis defensores, quod eam ubique occurrere, præterea in eo quod tres partes prope pares habere volunt. Octavæ elegiæ, quam Lipsius iure in duas divisit (vide tamen Plessisium, Propertiana) prior pars tres partes habet: (*1-8*), (*9-16*), (*17-26*); altera item tres: (*27-30*), (*31-40*), (*41-46*). Nam hæ sunt sententiæ: 8 versus, tu demens proficisci potes; 8 vv., votum poetæ ne Cynthia proficiscatur; 10 vv., si Cynthia proficiscatur, felici navigatione utatur; 4 vv., Cynthia manet; 10 vv., cur manserit; 6 vv., sunt igitur Musæ, poetæ gaudium. Etiam elegiæ quæ meræ narrationes sunt in tres partes dividi queunt; ex. g. 3 sic secari potest: *1-10*, poetæ ebrii adventus; *11-30*, poetæ erga Cynthiam dormientem agendi ratio; *31-46*, Cynthiæ expergefactæ querelæ. Item 20 et 16 et exordium et corpus et conclusionem habent.

Ultra progressus est Hertzbergus, qui nonnullas elegias in

minutas partes dividit, et illas per litteras et litterulas distinxit. Et certe his subdivisionibus aliquando locus est. Ex. g. secundæ elegiæ altera pars (*7-26*) quattuor particulas in se habet : 1° Veritatis cuiusdam asseverationem (*7-8*); 2° exempla e natura ducta (*9-14*); 3° exempla mythologica (*15-22*); 4° conclusionem huius partis (*25-26*). Sed quid postea ? Hæ particulæ nihil probant, nisi poetam sententias, affectus, exempla, quæ in suo animo versentur, non simul exprimere posse. Hi igitur ludi, quibus ceteroqui aliorum strophica divisio referenda est, otiosis relinquendi sunt.

Dicamus ergo quod de illo primo libro verum est. Strophica divisio falsa est. Tripartitæ divisioni plerumque est locus, non tamen ubique. Ea tamen tripartita divisio sequenti modo accipienda est : Poeta suam sententiam ponit, de ea disserit, aliquid concludit, nonunquam ita ut ad initii sententiam redeat (ex. g. 2 et 5). In media parte varii sensus secum pugnant. Compositionis igitur ars non poetæ defuit; quod odorati sunt qui de superioribus divisionibus verba fecerunt. Alterum etiam probaverunt (nam errori ipsi sua pars veritatis inest), Propertium non ita suas sententias disponere, ut una ex altera nascatur, sed unamquamque sententiam per se stare et argumenti speciem præbere. Quæ compositio magis oratoris quam poetæ est, neque mihi errare videretur qui diceret tunc temporis poetam, e rhetorum officinis recentem, oratorias leges aliquo modo in sua carmina intulisse.

Nunc videndum quid de illis sit sentiendum, qui secundo libro nitentes compositionis artem poetæ abiudicaverint. Iam omnium primum mirum esset poetam, quem plaudendo modo componere vidimus, repente hanc artem omnino deperdidisse. Et revera in secundo libro nonnullæ elegiæ

insunt, quæ perbene composita iure dixeris, ex. g. 2, 3 (exceptis decem extremis versibus), 5, 7 (ubi duo extremi sextæ elegiæ versus in lacuna Muelleri, invitis nonnullis, recipiendi sunt), 11, 12, 14 (quæ tripartitam divisionem recipit; nam Gruppius, qui vv. *11-12* reiciendos censuit [Minos, p. 509, vide Weberum, p. 30], aperte erravit, teste primo libro), 15, 16, 17, 19, 20 etc. Illud tamen fatendum non eundem, atque in primo libro, in secundo esse ordinem. Excepta elegia 14 in plerisque elegiis hic est ordo, ut ex una sententia altera nascatur, ut poeta non, velut orbe perfecto, ad initium redeat, sed semper ultra procedat; ut in fine, quamvis conclusio ab initio pendeat, satis procul sæpe stet ab initio, ut sententiæ catenatæ, non iam iuxta positæ esse videantur. Ex. g., in elegia 2, versus *5-14* a vocabulo *facies* (v. *3*) pendent, et conclusio non de poetæ libertate tractat, unde elegia originem cepit (v. *1*), sed de Cynthiæ pulchritudine, quæ elegiæ corpus efficit. Idem dici potest de elegia tertia, versu *44* finita. In elegia 5 doctiorem, quam in primo libro, ordinem invenies. Hæ sunt enim sententiæ : Tu vivis aperta nequitia. Ego te relinquam, vel potius, si pergis, de te scribam: Cynthia verba levis. Naturalis hic ordo est. Poeta primum iratus ultima suæ puellæ minatur, mox resipiscit, et ad moderatiorem ultionem recurrit. In 12 a rebus amoris in universum consideratis ad se obvio itinere redit. In 15 a felici nocte proficiscens ad gaudia amoris pergit, ut contrariam viam sequatur, ita tamen ut in altera parte non prioris obliviscatur. In 16 a facto (prætoris reditu) ad desperationem, iram, minas naturali modo progreditur, ut tamen in quibusdam locis vehementer affectus proprios casus et generales sententias nimis abrupte misceat. Simplex est 19 divisio : Gaudeo quod rura colas; ego quoque rura visitabo. — Ex his variis exemplis colligi

potest Propertio, in nonnullis saltem secundi libri elegiis, compositionis artem non defuisse ; modo tamen compositionis liberiore illum fuisse usum, ut non antea sibi præscripto ordini inserviret, sed suas sententias veluti sponte ad metam ire sineret.

Illud tamen non de omnibus huius libri elegiis dici potest. Constat in multis ordinem claudicare, nonnunquam ita ut, ubi sis et quo eas, non discernere possis. Laxa tantum est elegiæ 1 compositio. Sed extremi versus elegiæ 3 tam parum cum elegia ipsa cohærent, ut a recentioribus editoribus initio quartæ positi sint, ubi tamen non optime stant. Elegia 6, qualem eam in libris invenimus, non tolerari potest. 8 et 9 meræ versuum farragines sunt. 10 lacuna quadam vel transpositione laborare videtur (vid. Birtium, Das Ant. Buchw., p. 417). 18 quattuor primi versus non bene cum ceteris consentiunt. 22 finis, 23, 24 veræ interpretatorum cruces sunt. 26 duas diversas partes aperte continet. 30 neque intellecta est, neque, credo, intellegi potest. 34 aperte laxiore etiam quam 1 dispositione laborat. In eis etiam elegiis, quarum non mentionem fecimus, sæpe sententiarum nexus solvitur.

His tantis vitiis editores variis modis medelas afferre conati sunt. Quidam nonnullas elegias in duas vel tres partes resecaverunt; alii transpositionibus perturbatum sententiarum ordinem restituere voluerunt. Alii astericis tantum lacunas quibusdam locis exsistere indicaverunt. Quidam, ex. g. Bæhrensius, simul his tribus modis sunt usi.

Primo sanandi modo in nonnullis elegiis locum esse fatendum est. Nam 22^b a 22 iure separaverunt, itidem 24^b a 24, et 26^b a 26. Finem 34 ab initio non sine causa separaveris, ut non ubique damnanda sit illa ad disiungendum propensio (propensity to disjunctiveness) quam Paleyus vituperat (ad

II, 6). Palmerus quoque in sua editione (Londinii et Dublini, 1880) ceteroqui valde laudanda, quippe quæ ad fidem Neapolitani plurima egregie restituerit, has divisiones maiori ex parte reicit. De 8 in duas elegias divisa nihil dicam, cum etiam post divisionem plurima obscura et intricata remaneant. 13 et 28 per litteras tantum dividendæ sunt, neque plures elegiæ constituendæ; nam de illis dici potest quod Plessisius (Propertiana) de I, 8 dixit. Etenim tres partes, in quas a plerisque resecatæ sunt, aliquo modo inter se cohærent, et magis varia unius affectus momenta quam varii affectus sunt, ut veræ trilogiæ sint, sicut Ottius de 28 tantum dixit (p. 14). Nam in 13, modo versus *15-16* removeris, altera pars (*17-42*) medium iure inter primam et tertiam locum obtinet, quippe quæ versu vexato *25* (sat mea, sat magna est si tres sint pompa libelli) primam partem, in qua de doctæ Cynthiæ puris auribus agitur, in memoriam revocet, et in tertiæ partis mæstis sententiis aptum complementum iussis ad pompam poetæ pertinentibus, ex quibus constet, inveniat. Item in 28 tria momenta, non tres elegias habemus. De valetudine Cynthiæ ubique agitur. Hæc est inter tres partes differentia, quod in prima (*1-34*) poeta causas morbi requirit, puellam monet et solatur, in altera extrema timet, in tertia de puella servata gaudet, ut iure coicias totam elegiam post servatam demum Cynthiam a poeta fuisse scriptam, varia ægritudinis Cynthiæ momenta contuente (Vide G. G. Ramsayum, Selections from Tibullus and Propertius, Oxford, 1887, notes, p. 248).

Certum est igitur has divisiones recentiorum editorum nonnullis locis esse recipiendas; quasdam tamen elegias partes tantum varias, sed non varias elegias in se habere; has partes igitur variis litterulis designari posse, sed has partes

non ad augendum traditum elegiarum numerum valere. Ceteroqui, ut desperatas elegias, de quibus supra diximus, omittamus, talibus divisionibus non est abutendum. Nam in elegia 29, ubi Rossbergus duo carmina constituere voluit (Lucubrationes Propertianæ, Stade, 1877, p. 17, sqq.), nihil est quo offendaris, si compositionem solam consideraveris, post receptam Heinsii correctionem (voce *Hesterna* v. *1* in *Extrema* mutata).

Transpositionibus frequentius etiam sunt usi. Nam, ut de Bæhrensianis transpositionibus taceam, quæ mihi quidem parum feliciter excogitatæ videntur, et de ceteris, qui ante Ottium aliquid de aliqua elegia dicendum invenerunt, sola Ottiani opusculi lectio nos docere potest fere omnibus elegiis versus inesse, qui alicui non suum locum tenere visi sint. Et certe a sexto decimo sæculo bonæ transpositiones inventæ sunt. Ne in omnibus vager, sexta elegia ex. g. quæ, sicut in codicibus legitur, plane tolerari non potest, ab Heydenreichio primum (Quæst. Prop., Dresdæ, 1875, p. 11), quanquam ipse sua commenta, teste Ottio (p. 8), dereliquerit, deinde ab ipso Ottio tolerabili sane modo est restituta. Rossbergi (p. 16) transpositiones in elegia 24^b, quas Ottius vituperat (p. 13), non contemnendæ sunt. Idem de multis aliis transpositionibus dicas. Ottius etiam desperatas elegias 8 et 9 transpositionibus suis aliquo modo tolerabiles efficit (p. 9 et 10). Sed de omnibus his transpositionibus, quamvis sæpe laudandæ iure nominentur, tamen dici potest eas raro certas esse, fere semper tantum verisimiles; nonnunquam etiam eas falsas esse demonstratum est. Ex. g. in elegia prima versus *5-6* non transponendi sunt, et v. quinto *vidi* legendum est; nam *cogis* (in N A F V2 D2) et *togis* (in D V), e quibus *coccis* Lachmannus excogitavit, tantum dittographiæ vocabuli *Cois*

(*Chois* scripti) sunt, et *vidi*, quod ab Italis datur, vera lectio est.

De lacunis non disseram, quas apud quosdam editores ubique inspersas invenias, quippe quarum verisimiles tantum rationes afferantur, neque ab omnibus iisdem locis ponantur. Item de contaminationibus elegiarum tacebo; nam Gruppii, Caruttii, Heimreichii (qui II, 10 cum III, 9 contaminavit, Quæst. Prop., Bonnæ, 1863, p. 29) commenta nunc iure in situ iacent.

Ex his elegiarum divisionibus, versuum transpositionibus, lacunarum signis tamen aliquid concludi potest, nempe in plerisque secundi libri carminibus ordinem libris traditum quibusdam viris doctis non satisfacere. Et certe de elegiarum divisionibus dici potest illam quæstionem non ita magni faciendam, cum in libris res certo a poeta divisæ nonnunquam non dividantur (ex. g. in optimo codice Neapolitano liber secundus a primo non seiungitur), et aliquas divisiones necessarias esse diximus. Sed de versuum transpositionibus et lacunis non ita facile aliquid statueris. Nam quamvis nonnulli versus certo certius non suum locum occupent, quamvis certum sit nonnullos deperiisse, mirum esset librarios sine causa fere ubique ordinem traditum perturbavisse, cum eum in primo libro servavissent. Paginas hic et illic deperditas iniuria suspiceris; nam, quanquam nonnullas deperiisse arbitror, non uniuscujusque hiatus talem iacturam causam fuisse cum probabilitate dixeris. Aliqua igitur pars huius secundi libri perturbati status ad ipsum poetam referenda est; et, inspecta elegiarum, quas continet, dispositione, simul considerata carminum, quæ minus suspicionem movent (ex. g. 16) laxiore compositione, affirmare possumus (quod supra indicavimus) poetam

in vehementioribus animi affectibus minori arte has elegias composuisse. Hos enim sententiarum solutiores nexus in iis in primis elegiis invenies, quibus maxime commotum fuisse poetam vidimus (ex. g. 8 et 9, ubi exclusus de morte cogitat, et in elegiis 22^{b}, 23, 24, ubi fatetur se desperatum viles quæsivisse). Cum postea huic claudicanti statui librarii medelas afferre voluerunt, rem etiam peiorem effecerunt.

Itaque, ne nos recentiores frequentioribus correctionibus in eundem errorem deveniamus, temperamento quodam utamur. Eas tantum correctiones recipiamus, quæ quodammodo necessariæ sunt, et vitiis subveniunt, quæ alicui librario referri debent. Nam poetam absurda scripsisse, etiam in summa desperatione, non credendum. Sed ne, a perfectiore primi libri compositione proficiscentes, hunc in secundi libri elegiis ordinem statuere velimus, quem illis poeta non dederit.

Dispositionem elegiarum tertii et quarti libri paucioribus verbis absolvere licebit. Maturior factus poeta liberiore ordine quam in primo libro, aliquo modo scholam redolente, usus est ; rursus placidiore animi statu res secum melius cohærentes, quam in secundo, scripsit. Inde factum est ut editores minus in his libris restituendis desudaverint. Nam, si varias quorundam verborum, quæ ubique apud antiquos scriptores occurrunt, lectiones omittamus, de elegiarum tertii libri numero fere constat apud editores. Etenim 1 et 2, quæ in uno argumento versantur, a Mureto et Scaligero iunctæ sunt, quam rem multi nostri sæculi editores receperunt, Iacobus, Hauptius-Vahlenus, L. Muellerus, Bæhrensius, sed non Lachmannus, Hertzbergus, Palmerus. Forsan hic litterula (vide supra) duobus carminibus distinguendis sufficeret.

Nam in poetæ superbia totum versatur Vicesimam elegiam in duas elegias iure dividit Scaliger, quem alii secuti sunt. 24 et 25, quas una scribunt alii (Lachmannus, Iacobus, Bæhrensius), separant alii (Hertzbergus, L. Muellerus, Palmerus), litterula tantum iure distingueres. De ceterarum elegiarum terminis non disputatur. Hic doctorum virorum consensus testis est poetam in unaquaque elegia unum tantum argumentum tractare, neque sibi a se præscriptos fines egredi. Præterea in ceteris elegiis pauca ab editoribus, excepto tamen Bæhrensio, lacunarum signa posita sunt, quo evincitur illis iudicibus omnia secum satis bene cohærere. Item paucas transpositiones apud plerosque reperias (excepto eodem Bæhrensio), quod idem probat.

Et revera adversus 3, quæ narratio est, 4, 5 (quæ duas partes habet), 6, quæ est narratio, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 16, 17, 18, 19, 20, 20[b], 21, 22, 23, 24-25 nihil habes quod dicas. In 7 transpositio una aut altera tantum proponitur, in 8 lacunam nonnulli suspicantur, in 15 transpositionem aliqui (ex. g. Palmerus, Præfatio, p. 40) necessariam iudicant, ut quid vox *testis* significet intellegatur. Quo evincitur plerosque editores varias elegiarum sententias bene dispositas æstimare.

Falso tamen in hoc tertio libro ordinem primi libri exspectaveris. Nam tripartitæ divisioni perraro locus est, nedum strophas constituere possis. In quibusdam etiam, quamvis omnia secum cohæreant, vitiosa videtur totius carminis dispositio. De 11 pistrina cauda, quam veram elegiam esse non sine causa iudicaveris, iam diximus. In 12 errores Ulyssei nimium locum obtinent. In 15 et 19 idem de exemplo vel exemplis a mythologia ductis dici potest. In plerisque vero poetam facili modo sequaris, qui vel narrans ordini

temporum sese accommodet (ex. g. 3, 6, 21), vel ab una sententia ad alteram apto modo veniat (ex. g. 5, 9, 13, 14, 18, 22), vel subtiliori etiam arte usus tenui filo facta et sensus coniungat (ex. g. 7).

Etenim, ut narrationes omittamus, elegias 9 et 22 excerpamus. Harum partes per quævis signa facile distinxeris, ita tamen ut altera pars a prima parte pendeat, et item ceteræ partes. In elegia 9 hic est sententiarum nexus : Cur, Mæcenas, me magna canere vis (v. *4* transitio)? Non omnes omnibus apti sunt, et quisque suæ naturæ semina sequitur (v. *20* transitio) ; tu ipse rei es exemplum ; ego quoque elegiacus modo poeta sum, nec, nisi te duce, grandia aggrediar. Elegia 22 tripartitam divisionem recipit, sed tres partes non melius concatenari possunt. Hæ sunt sententiæ : Omnia, quæ videre potes, Tulle, cedent Romanæ terræ ; quas dotes Italia habeat ; quibus vitiis careat. — Iam de 7 mihi Schulzius bene iudicavisse videtur (3te Auflage, p. 150) : « Die Jugend und die Mutterliebe des Unglücklichen, das verruchte Geld, das tückische Meer : das sind die wenigen Fäden, die in einander geschlungen und mit dem poetischen Schmuck der dem Mythus entlehnten Belege und Beispiele vereint das Gewebe des Gedichtes ergeben. »

De quarto libro pauca adiungamus. De elegia 1 in duas partes per litterulas dividenda iam diximus. 2, 10 etymologiarum ordinem sequuntur. 4, 6, 8, 9 narrationes sunt, ubi poeta factorum ordinem sequitur. In 5 ea est dispositio, ut lectoribus primum lenæ effigies, deinde eius consilia, postremo eius mors proponantur. Fere eadem est 7 dispositio, ubi umbra primum describitur, deinde querelas effundit, postremo evanescit. Restant elegiæ 3 et 11. In priore exordium est, et corpus (Arethusæ querelæ), et conclusio. In 11 itidem : post

exordium (iudices non vereor) Cornelia suam vitam narrat, postremo perorans (v. 99) maritum et natos tenere alloquitur, ut, quod leges oratoriæ postulant, factis primum, dein affectibus locus sit.

Quid inde? Propertio neque ars compositionis tanta fuit quam tripartitæ (quæ tamen satis sæpe occurrit) et strophicæ divisionis defensoribus visum est, neque rursus tantum defuit, quam quidam putaverunt. Hoc solum dici potest poetam pro temporibus et vitæ suæ condicione non una eademque ratione fuisse usum. Nam cum in primo libro quasdam certas partes, quæ nonnunquam (non semper) sibi respondeant, instituerit, in secundo, variis affectibus huc et illuc iactatus, desultorio modo elegias suas composuit, qui postea multarum depravationum causa fuit; in tertio vero et quarto libro non semper tam peritum quam in primo libro ordinem secutus est, eum tamen quo perraro offendaris. Elegiarum Propertianarum ordo in primo libro adstrictus, laxus in secundo, liber in duobus ultimis libris dici potest, qui verus ordo est. Itaque, si universum eius opus consideraveris, nulla causa erit cur poetæ compositionis artem vel nimiis laudibus extollas, vel nimium vituperes.

CAPUT VII

CONCLUSIO

CAPUT VII

CONCLUSIO

Cum non nobis in animo sit omnia, quæ ad Propertium aliquo modo pertineant, hoc nostro opusculo tractare, restat ut iis rebus, quæ enucleare sumus conati, uno obtutu consideratis, simul nonnullis adiectis, præterea aliis Romanæ elegiæ principibus in comparationem arcessitis, nostram de Propertio et eius opere sententiam in universum exponamus.

Eius amica Cynthia, vero nomine Hostia, maritata fuit, sicut Lesbia Catulli, Delia Tibulli (I, *2*, *41*), Corinna Ovidii (*Amores*, I, 4). E poetæ carminibus constat eam leviorum morum fuisse, ut non maritum solum deciperet, sed libidinosa avaraque suos amicos vicissim reciperet excluderetque, uno verbo more prorsus meretricio viveret. Nihilominus constat in ea poetam misere deperiisse, qui eius durum iugum non modo quinque annos ferre potuerit, et post anni totius discidium ad eam sit reversus, sed ne post illos quinque annos quidem illam deseruerit. Fatendum est tamen Propertii amorem non eandem semper habuisse naturam, ut in fine poeta resipiscens meræ consuetudini inserviisse videatur.

Sed diu verus et vivax poetæ amor fuit. Hoc magis senties si eum cum amore aliorum elegiacorum poetarum contuleris. Ovidius enim, quæ erat eius levitas, non Corinnæ modo, sed aliarum quoque videtur leges recepisse. Probabile est *Amorum* poetam præcepta, quæ in *Arte amatoria* continentur, esse secutum (vide *Amores,* II, 4); certe novimus eum amicæ suæ serva possessa esse gloriatum (*Am.*, II, 8), et uno tempore duas amavisse (*Am.*, II, 10); præterea multæ elegiæ non ad Corinnam spectant. Propertius quoque aliquo tempore et viles quæsivit et asseruit duo retinacula melius navem defendere (II, 22, *41*). Sed ea desperatus fecit aut scripsit, non, sicut Ovidius, lasciviens. Lycinna, cum semel Cynthia potitus est, abstinuit. Lectio *puellas* (III, 23, *5*) et scena quæ IV, 8 narratur ad finem quinquennii vel ad tempus quinquennio posterius referendæ sunt. In *Amoribus* leves amores Ovidius summa levitate depingit, in suis carminibus Propertius verum amorem imo corde defixum summa gravitate. Ille libero animo plerumque iocatur, hic captivo fere semper queritur.

De Tibullo non idem dici potest, neque causam habemus, cur eius amorem non verum fuisse contendamus. Certe tamen placidiore animo fuit poeta, ut, etiam in adversis rebus, moderatas querelas emitteret. Illud quoque constat eum duas dominas cecinisse, nempe Deliam et Nemesin, quod ex eius carminibus elucet et ab Ovidio corroboratur (*Am.*, III, 9, *31*), ut de illa a Flacco (*Carm.*, I, 33, 2) nominata Glycera taceam, quam multi propter eandem syllabarum quantitatem eandem ac Nemesin fuisse putaverunt. Apud Propertium contra una Cynthia nominatur. Tibullo, ruris et vitæ priscæ amatori, variæ amicæ complementa tantum huius somniatæ vitæ erant; Propertio Cynthia vita ipsa fuit. Tibulli carminibus nostrum pectus grate movetur, Propertii vehementer conturbatur.

Quod ad Catullum attinet, ille certe violenter amavit qui hæc scribere potuit (86):

Odi et amo. Quare id faciam fortasse requiris ;
Nescio, sed fieri sentio et excrucior;

quæ carmina fronti Propertiani operis inscribi possent; qui carmina 5, 7 et multa alia (ex. g. 107, 109) in ceras coniecit; qui, si eius totum opus legas, nunquam mediocriter videtur fuisse commotus. In eius amore tamen, ex ipsa violentia quæ carm. 5 et 7 apparet, maiorem locum sensus quam animum ipsum tenuisse suspicor. Neque nego verum amorem etiam sensuum voluptates includere, et Propertius ipse rei testis est (ex. g. II, 15). Sed noster variis locis affirmat se non minus Cynthiæ dotibus quam eius forma fuisse irretitum. Ceteroqui Catulli carmina ostendunt eum in omni genere lasciviæ esse debacchatum. Quis talem virum contendere posset non sæpe alias, vel alios quæsivisse ?

Etenim, ut rem. lubricam attingam, certum est Catullum puerorum amorem non vitavisse. Hoc ipse satis crude affirmat carmine 56 (cf. 15, 21, 48, 99). Apud Tibullum (I, 4) præcepta ad tales amores spectantia invenimus, et poeta se huius amoris magistrum profitetur vv. 75-76:

Vos me celebrate magistrum
Quos male habet multa callidus arte puer.

Certe dici potest Albium aliquod exemplar Alexandrinum esse secutum; eum saltem decenti modo loqui constat. Sed si a re prorsus alienus fuisset, non tantum in hac quæstione esset immoratus. Propertius puerorum amoris bis quidem

mentionem facit, ita tamen ut in elegia I, 20 amicum tantum moneat, vel potius occasionem Herculis et Hylæ amorum narrandorum arripiat, et in II, 4 Cynthiæ iratus puellarum amorem puerorum amore amariorem esse breviter et cursim significet. Certum est igitur Propertium, suæ amicæ unice deditum, talem amorem, qui apud antiquos frequenter occurrit, respuisse. Ceteroqui Ovidius quoque pueros vitavit, sed huius continentiæ causa in multitudine puellarum, quas Romæ fuisse initio suæ *Artis amatoriæ* contendit, requirenda.

Propertius contra declarat se per quinque annos suam Cynthiam unice dilexisse (sic enim voces *servire fideliter* III, 24, *23* intellegendæ sunt). Inde fit ut in eius animo Cynthia pleno parvus alii affectui remaneret locus. Itaque suos amicos, excepto Pæto (III, 7), cuius mors maiorem miserationem movere debebat, satis frigide alloquitur, etiam illum Tullum, cum quo familiariter vixisse videtur, per quem est verisimile illum in Mæcenatis circulum pervenisse. Contra Catullus carminibus 9, 11, 12 (in fine), 13, 35, etc., ostendit se suos amicos penitus dilexisse. Fatendum etiam illum eundem Catullum nos acrius movere, cum de suo fratre loquitur (65, 68, 101), quam Propertium semel bisve suum amorem erga matrem caram profitentem (I, 11, *21*; II, 20, *15*). Is factus erat poetæ erga suam puellam amor, ut ceteros sensus aliquo modo præstringeret.

Huic causæ adscribendus quoque poetæ in sua amica tractanda pudor. Verus amor, in cordis penetralibus hærens, plerumque velo quodam obvolvitur, neque nisi coactus pudicitiæ leges refringit. Inde fit ut apud Propertium nunquam illa spurca verba, vel lascivas illas sententias, quibus Catulli et Ovidii lectores iure offenduntur, invenias. Semel tamen liberiore dicendi genere usus est, nempe II, 16, *27*, ubi lectio

Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,

quanquam Italis codicibus data, mihi genuina esse videtur (nam vox *exclusis*, quam O præbet, reicienda; neque video unde vox *lumbis*, in qua O consentit, et quam nonnulli in *nobis* mutant, in archetypum irrepsisset). Sed ea iratus dixit, neque iam sui compos. Vere igitur dici potest nostrum poetam, quamvis plus, quam ceteri, in lectore amatorios sensus excitet, non magis quam Tibullum pudoris leges violavisse. Res forsitan mira, vera tamen, si quosdam Catulli et Ovidii locos in memoriam revoces.

Eidem amoris vehementiæ referendum quoque extentum spatium quod amatorii sensus in nostri opere occupant. Catullus certe misere amat; tamen Amoris sagittis transfixus ipse venenatas sagittas non in rivales modo, sed in cinædos quoscumque, vel inimicos, vel malos scriptores coicit, neque desunt qui in eo satiricum sensum sensu elegiaco præstare affirment. Tibullus quoque vere suas amicas amavisse videtur; sed rura, et silvas salubres, et priorum temporum pacem, et vitæ modestæ auream mediocritatem non minus celebrat. Ovidius certe in rebus unice amatoriis plerumque versatur, sed tam multa apud eum reperias amatoria præcepta, tam paucos sensus e corde vere lacerato erumpentes, ut amatoriæ scientiæ magis quam ipsi amori inserviisse videatur. Propertius contra in suis amatoriis carminibus, quæ longe maius spatium tenent, uni Cynthiæ suæ deditus est, non ut hic et illic in rivales non invehatur, vel agrorum pacem celebret, vel se Amoris magistrum profiteatur, sed ita ut etiam cum ad alias sententias aberret, illius digressionis causa Cynthia sit, eam in universum disserens semper respiciat, ad eam semper recurrat.

Proinde eius Cynthia melius a nobis nota est quam ceterorum amicæ. Ovidii Corinnam nonnulli fictam puellam esse sunt suspicati, et certe eius effigiem haud facile delineaveris. Pauca de Delia vel Nemesi e Tibullianis carminibus eruere licet. Catulli Lesbiam paulo melius novimus, cum hoc Catulli proprium sit, quod suas personas vividis coloribus illustret, in claram lucem proferat. Nulla tamen tam firmis lineamentis, quam Cynthia, est designata. Hanc intus et in cute novimus. De eius condicione certe viri docti dissentiunt ; de eius moribus et indole inter omnes constat ; neque de condicione ipsa tanta dissensio fuisset, si viri docti Ovidio duce reputavissent quam depravati fuerint illo tempore maritatarum feminarum mores.

Ceteroqui hic verus nostri amor non impedivit quin, morem multorum suæ ætatis poetarum secutus, ad suos ignes canendos auxilia extrinsecus petita arcesseret. Errant qui putant numerum mythicorum exemplorum, quæ apud nostrum reperiuntur, adversus sinceritatem eius amoris facere. Certum est veros sensus sæpe falsis coloribus exprimi. Constat oratores vere commotos non raro damnato rhetorico dicendi genere fuisse usos, quod testantur multæ orationes sæculo decimo octavo exeunte in nostra patria vexata et periclitante habitæ ; neque causa est cur Propertius, ob summam rerum mythicarum notitiam et ostentationem, nonnunquam, fateor, extra locum positam, non vere commotus fuisse dicatur. Lingua, qua uti didicerat, utebatur; exemplaribus, quæ noctu diuque versaverat, nitebatur. Nam eum Alexandrina doctrina ab initio fuisse imbutum hoc facto probatur, quod statim in primo libro erudita exempla usurpet. Neque id solus egit. Catullus quantum Alexandrinis debuerit notum est; demptis Alexandrinis vereor ne Ovidius ipse ad parvum

et exile quoddam reducatur. At Alexandrinis est abusus; confer Tibullum, qui eruditionem vitavit, Catullum, apud quem plura carmina invenias, quæ nullum imitationis vestigium præbeant; confer Ovidium, qui in exemplis e mythologia ductis tanquam in suo versatur et dominatur. Fateor equidem duo Propertianæ poeseos elementa, nempe veros sensus et Alexandrina exemplaria, non semper satis bene coalescere; ut nonnunquam sua exempla cruda quodammodo neque cocta afferre videatur. Illud est ingenii vitium, non pectoris. Cum memoriam mythicarum fabularum plenam, ut exundaret, haberet, quid miri si, in eadem condicione ac notæ mythorum personæ positus, suam sortem cum eorum sorte conferret? Hoc naturali modo in eo fiebat, neque aliquid contra amoris veritatem probat. Præterea, ut ad sententiam supra expressam revertamur, nullam causam habemus cur in illam Propertianam eruditionem tantum invehamur. Nam quamvis concedamus eum sæpe illa abuti, certum est ex illa ipsa eruditione non raro eius carmina novum nitorem accipere, ita ut eius sensus, quos paulo vehementiores fuisse diximus, magnis exemplis illustrati in sublimiorem et aliquo modo sereniorem locum extollantur.

Ceterum hunc magni et erecti sensum Propertius in se ipso reperiebat. Diximus nostrum per plures annos unice suæ puellæ amori inserviisse, et illum unius feminæ amorem ita in eius animo regnavisse, ut alios sensus, ex. g. amicitiam, magna ex parte prægravaret. Non tamen is erat poeta qui sola argumenta amatoria canere valeret, cuius Musa ad alia maiora celebranda in perpetuum obmutesceret. Certe in primo et secundo libro fere de sola Cynthia agitur; tamen iam e secundo libro elucet nostrum ad res elatas sensum

apertum habuisse, qui magnitudinem futuræ Aeneidos intellegeret, et hunc notum versum scriberet II, 34, *66* :

Nescio quid maius nascitur Iliade.

Constat etiam Mæcenatem ingenii sui subtilitate perspexisse Propertium magnis argumentis non fore imparem (II, 1 ; vide quoque 34), et nostrum ea una de causa Mæcenatis consiliis non obtemperavisse, quod id temporis in procellosis sui amoris fluctibus iactaretur; semel tamen in brevi discidio ad maiora canenda esse accinctum (II, 10; 31 omitto). Sed in tertio libro, amore nutante, quanquam ipse declarat se uni elegiacæ poesi esse idoneum (3 et 9), tamen cum et de se poeta, et de illa ipsa elegiaca poesi superbe et sublimibus verbis loquitur (1 et 2), tum in liberiore spatio vagatur. Nam sibi vere Lucretianam senectutem destinat 5, *25* :

Tum mihi naturæ libeat perdiscere mores;

mox ad sedandum amorem de Platonicis studiis cogitat (21, *25*). Iam omnia magna vel flebilia aptis modis prosequitur. Hic Gallæ castitatem laudibus extollit (12); illic amici Pæti vel Marcelli Romanorum spei prærepti morte vehementius movetur et movet. Iam vere Romanus poeta et in invisam Cleopatram invehitur (11), et Italiam ceteris terris anteponit (22), acer et grandiloquus. Non liberior modo, sed maior et plenius spirans factus erat poetæ animus, cum quarto libro incubuit. Certe in antiquariis huius libri carminibus erravit; non is erat qui veteres et siccas fabulas versatili arte exornare posset (tamen in Tarpeiæ amore canendo elegiacus poeta sibi haud dispar fuit, 4). Sed ipsum

opus excelso sensu conceperat, quod testatur primæ elegiæ prior pars, ubi in antiquis rebus celebrandis antiquus vere factus est illius animus. In ea elegia, in qua Cynthiæ umbram alloquitur, eius poesis nescio quid gravius sonat. Arethusæ quidem querelæ nobis sedulam et teneram coniugem in primis præbent. Sed epicedio Corneliæ maiestas et aliquo modo superbia matronæ inest, divina quadam arte matris et coniugis caritati coniuncta. Elatarum igitur rerum sensus nostro poetæ in secunda operis parte non abiudicandus.

In carminum dispositione poetæ artem non sibi constantem fuisse vidimus; eam tamen esse, quæ et laudes nimias aliorum, et aliorum vituperationem effugiat.

Iam in sententiis exprimendis multa sunt quæ dici possent, si eum per singula essemus persecuturi. Hanc quæstionem aliis tractandam relinquimus, ceteroqui fere integram. Nam, quanquam Postgatius nonnulla acuto ingenio perspexit, Germani, Hertzbergus, Kuttnerus (de Propertii elocutione, Berol., 1878), Hoerlius (de casuum usu Propertiano, Hal. Sax., 1887), etc., magis de lingua ipsa quam de dicendi genere disseruerunt. Pauca tantum delibabimus.

De vitiis primum dicamus. Decantatum est Propertium obscurum vel saltem subobscurum esse poetam. Equidem fateor illum non sine quadam mentis contentione legi posse. Sed huius obscuritatis causæ non omnes poetæ sunt adscribendæ. Etenim cum fabulæ a nobis parum notæ alludit, nos incusandi, non poeta, qui non nostri temporis lectoribus sua carmina scripsit; nihil inde decurrit, nisi ad poetam Alexandrinorum imitatorem legendum mythologiam esse tenendam. Multi tamen loci sunt qui, quanquam nullum eruditionis signum præbent, nobis parum clari occurrant. Sed hos diffi-

ciles locos plerumque examinatis variis codicum lectionibus expedies. Nam multæ difficultates minus ad Propertium sunt referendæ, quam ad editores, qui ante Lachmannum temere agentes, post eum magna ex parte Groningano, mox uno Neapolitano nitentes, prava elegerunt, vel mala coniecerunt. Vere bonam editionem adhuc non habemus. Bæhrensius, qui Groninganum iure Italis libris adnumeravit, falsa sæpe elegit, falsiora excogitavit. Præterea, quamvis quibusdam bonis libris suum locum tribuerit, immerito Neapolitano humiliorem valorem concessit. Verum viderunt Solbiskyus (de codicibus Propertianis, Jena, 1882) et C. Weberus (de auctoritate codicum Propertianorum, Hagen, 1887), qui cum Neapolitano primum locum tribuerunt, tum alias familias, scilicet AF et præsertim DV, non contemnendas esse iudicaverunt. Cum aliquis Vahlenus vel L. Muellerus his principiis fretus vere mansuram editionem typis mandaverit, tum demum de obscuritate Propertii erit iudicandum. Præsenti tempore hoc tantum affirmare possumus nostrum sæpe liberiore, nonnunquam laxo modo loqui, ex. g. III, 13, 55-56:

Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, tuo,

ubi vere sententia intricata est, vel audacter, ex. g. III, 14, 5:

Cum pila velocis fallit per brachia iactus,

et alibi.

Ceteroqui hanc obscuritatem plerique non tam in sententiis ipsis quam in sententiarum nexu invenerunt. De poetæ desultorio modo, cui librariorum commenta et errores supervenerunt, iam diximus. Erraret tamen si quis hanc in sen-

tentiis disponendis inscitiam ubique in opere Propertiano occurrere crederet. Plessisius iam gradum retro tulit et affirmavit non tam compositionis, quam transitionum, artem poetæ defuisse. Ego ne illi quidem opinioni assentior, quæ de secundo tantum libro et nonnullis aliis elegiis (ex. g. IV, 1[b]) vera est. Video contra Propertium in ceteris libris suas sententias lato et abundanti flumine proferentem, sæpe periodico vere modo. Vide ex. g. I, 2, ubi elegiæ prior pars ex amplis periodis constat; I, 3, quæ fere una periodo continetur; I, 18, ubi pro bonorum librorum *An* (v. *23*) Muellerus falso *En* coniecit, Bæhrensius ex Italis *Ah* recepit (nam novam causam afferri a poeta certum est); II, 12, ubi variæ sententiæ naturali modo se excipiunt; III, 9, III, 18, III, 22, in quibus illud idem periodicum genus reperire est. Quod erant subodorati qui strophas in opere Propertiano constituere voluerunt. Concludamus igitur illud quod verum est, nostrum non, nisi in secundo libro, illo anhelanti et ilia ducente dicendi genere fuisse usum, sed sæpe plenius spirare et uberius dicere.

Hanc in dicendo copiam non minorem in imaginibus excogitandis habebat. Certe tritis similibus sæpe utitur; sed ea peculiari modo præbet et vere sua efficit. Notum est amantes amoris ignibus uri; Propertius ignem accendi videt, causam ignis ostendit I, 13, *26* :

Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.

Vetus est illa metaphora qua animi vires dicantur quædam ferre valere, quædam recusare. Propertius eam vividis coloribus illustrat, et rei consequentiam oculis præbet III, 9, *5-6* :

Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

Nonnunquam duæ metaphoræ iunguntur, III, 9, *29-30*:

> Parcis et in tenues humilem te colligis umbram,
> Velorum plenos subtrahis ipse sinus.

Constat igitur poetam ad metaphoras fingendas vel tractandas vel variandas non inopem fuisse, et etiam aliquam obscuritatem nonnunquam ex illa ipsa abundantia venire (vide ex. g. initium elegiæ III, 1, ubi translationes cumulantur).

Ceterum has metaphoras non tanquam mera ornamenta usurpabat, sed ad suam sententiam maiore vi exprimendam. Eius sententiis et verbis vis quædam singularis inest, quam omnes iure admirati sunt. Cynthia non eius tantum vitam versat, sed (III, 11, 2)

> trahit addictum sub sua iuga virum.

Viri frustra, ut suam vitam servent, se auro et ære condunt, (III, 18, *26*)

> Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

Ut significet se non iam suam puellam esse celebraturum, sic scribet II, 11, 2:

> Laudet, qui sterili semina ponit humo.

Sæpe illa vis uno verbo exprimitur:

> II, 5, *4*: Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.
> I, 2, *4*: Teque peregrinis vendere muneribus.

Illis in dicendo nervis tamen opportuno loco venustatem substituit. Cum de puella in gelida Illyria vaganti cogitat,

teneri Cynthiæ pedes ei in mentem veniunt (I, 8, 7). Quid nitidius illa comparatione qua suæ amicæ candidum simul et roseum colorem depingit (II, 3, *12*) :

Utque rosæ puro lacte natant folia ;

quam illa Aquiloniæ prolis oscula carpentis adumbrata narratiuncula (I, 20) ; quam illa minuta turba Amorum faculas et sagittulas gestantium, qui poetam infidelem vinculis onerant (II, 29) ? Etenim, cum tales locos considero, his Alexandrinis gratiam habendam puto qui poetam talibus nervis præditum iniectis flosculorum coronis exornaverint.

Quod ad rem metricam attinet, de qua multi plus minus disseruerunt, L. Muelleri iudicium citabo (Præf., XLVII) : « Propertius etsi eximius est poeta et elegiacorum facile princeps durioribus tamen paulo utitur numeris, quanquam eos et in posterioribus mitigavit libris, et ne in prioribus quidem tam rudes atque absonos fecit quam visum nonnullis. Habet tamen plures spondeos quam Tibullus sive Ovidius. » Hoc tantum adiungam, de ea polysyllaba pentametri fine, quæ in primo præsertim libro invenitur, et quæ Alexandrinis debetur, Paleyum iure dixisse illam nullo modo molestam esse. Spondei in hexametro non plures sunt quam apud Vergilium (56, 5 o/o ; Verg : 56 o/o ; *Plessis, Métr. lat.*, p. 53). Pentametri optima forma (d s in priore parte) sæpius apud Propertium (49, 5 o/o) quam apud Ovidium ipsum occurrit (46, 6 in *Amor.* ; et 47, 3 in *Trist.*). Tibullus tamen præstat (58, 5 ; vide *Plessis, Métr. lat.*, p. 288). In universum Propertius non tantum a ceteris discedit quam nonnulli putaverunt.

Quæ si omnia uno obtutu consideraveris, et reputaveris

præsertim in pectore et veris sensibus situm esse poetarum pretium, nulla causa erit cur mireris nonnullos Romæ fuisse qui, teste Quintiliano (X, 1, *93*), elegiæ palmam Propertio tribuerint. Certum est Goethium, acutissimum aliorum iudicem, et a nostro vehementer fuisse commotum (Erschütterung, 28 nov. 1798, vide Postgatium, p. 147) et eius spiritu olim fuisse afflatum (einst Properz mich begeistert, *Herm. et Dor.*, Prol. v. 1).

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

a. d. III Kal. aug. ann. M DCCC XCII

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR

Academiæ Parisiensis Rector

GRÉARD.

INDEX CAPITUM

NOV 13 '54 H
AUG - 1 1967
CANCELLED
1532913
2623729
Canceled
MAR 70 H

Lp 45.227
De Sex.
Widener Library 004102378
3 2044 085 225 589